VIII a 33 6 2a

14-141-6-55

14-26-D-9.

IN PRAEFA-
tores Prognoſtiquóſque

futurorum euentuum, diuinatricémque Aſtrologiam Libri duo, Auctore R.P.F. Spiritu Rotero Aqueſexſtienſi ordinis Prædicatorum, Inquiſitore Toloſano.

Pertinet ad Bibliothecam S. Fran. Transtiberim Almae Urbis

Ex Testam.to Ill.mi et Rev.mi D. Ascanij Rinaldi

Opus ſanè eruditione, pietatêque Chriſtiana fœcundum.

A ſignis cœli nolite metuere, quæ timent gentes. Iere. 10.

Cynthii Clementis.

TOLOSAE, E Typographia Iacobi Colomerij.
M. D. LV.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

CAPITA
horum duorum Librorũ

EX QVIBVS, QVID IN eis tractetur, ſummatim colligi poterit.

¶PRÆFATIO, in qua Auctor rationem ſui propoſiti aperit.

CAP.1. De diſcrimine inter Aſtronomiam & Aſtrologiam, ipſiúſq; Aſtronomię laudibus, & quòd Aſtrologiæ inuentionem Diuus Auguſtinus ſeductoribus Dæmonibus attribuat.

CAP.2. Reiiciendam damnadámque Aſtrologiam, quòd ſibi arroget id, quod ſoli Deo peculiare eſt. Præſcientiam ſcilicèt futurorum euentuum, imitetúrque altitudiem Sathanæ.

CAP.3. Proſpera aut aduerſa in hunc mundum immitti pro meritis qualitatéque vitæ hominum, non ex aſtris, ſed per aſtra. Vnde antequàm eueniant, niſi Deo reuelante, à nemine poſſe præuideri.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

CAP.4. Ariſtotelis quadam egregia ſententia, ſubuerti Aſtrologicas de actibus humanis prędictiones. Su-

biicitur deinde euidens argumentum, quo liberum voluntatis probatur arbitrium.

C A P.5. Quæ ſint dicenda fortuita caſualiáue, & quòd cum vniuerſali, infallibilique Dei præſcientia, ſimul ſtet libertas voluntatis, contingentiáque futurorũ, & quarè vetita ſit dierum, temporúmq; obſeruatio.

C A P.6. Quæ commoda & beneficia à cœlo & aſtris ſint expectanda, & quòd in cœleſtem patrem curam ſuam iactare debeat homo Chriſtianus.

C A P.7. Ptolemæi ratio, qua ſe maximè tuentur Aſtrologi, eliditur: ac tota illa de maleuolis planetis, infœlicibus ſiderum aſpectibus, maliſque ab ipſis deriuatis inclinationib⁹ traditio, vt erronea in deúmque blaſphema reprobatur.

C A P.8. Alio argumento Ptolemæi ratio inualidatur, & quę ſit malarum noſtrarum inclinationum, pronitatúmque prima radix, origóque, ex ſacris oraculis demonſtratur.

C A P.9. Examinatur Ariſtotelis dictum peruulgatum, de gubernatione mundi inferioris per ſuperiores lationes, indicatúrq; rerum generationes ac proprietates, nêque à cœlo, néq; à Planetarum aſpectibus, ſed aliunde ortum ſuum trahere.

Cap

CAP.10. Tractatur difficilis quæſtio de cauſa diuerſitatis voluntatum, affectuum & ſtudiorum hominum, quam quæſtionem magis more Academico diſputari, quàm plenè poſſe reſolui Auctor exiſtimat.

CAP.11. De duplici eóque graui errore Aſtrologorũ: quorum alter eſt, quòd cœlo & aſtris nõ tribuunt, quæ ſunt eis propria, ſed aliena. Alter, quòd etiam ea, quæ à cœlo & Aſtris efficiuntur, Aſtrologi ſcire nequeant. Duplex deinde cœli dignitas, beneficiũmque deſcribitur.

CAP.12. Et vltimum. Quòd etiam, quæ proficiſcuntur à cœlo & ſtellis, Aſtrologi ignorent, & de ipſorum patenti, periculosáque imperitia: Inſuper ſubiũgitur non iniucunda quædam de Aſino Aſtrologo Hiſtoria.

Capita ſecundi Libri.

CAP.1. Diſſertatio magni Baſilii, qua magnifico, vibrantique ſermone, amentię, impietatiſque illos arguit, qui ex poſitione ſtellarum actiones, vitámque hominum prædici poſſe exiſtimant.

CAP.2. Diui Ioannis (qui ob dicendi gratiam Nili fontibus vberioré, Chryſoſtomus nuncupatus eſt) verba ex Homelia.2.operis imperfecti, quibus oſtendit hac Aſtrorum obſeruatione liberum arbitrium tolli, Deum blasphemari, omniáque iura ſubuerti.

CAP.3. Acuta elegantiſsimáque diſputatio, qua Eccleſiæ lampas præfulgida diuus Ambroſius Genethliacos, Aſtrologicámq; profeſsionem confutat, demonſtrans eam eſſe inutilem, impoſsibilem, impietatéq; conſperſam, ex opere ſex dierum Lib.4.ca.4.

CAP.4. Diui Hieronymi, in omni genere literarum ſummi, oraculorúmque Propheticorum primi illuſtratoris ſententiæ, diuerſis ex locis excerptè, quibus Aſtrologos de diuinitatis vſurpatione taxat, vetitóſque adiri teſtatur.

CAP.5. Diui Auguſtini, ſplendoris Eccleſiæ, qui & latè reſerauit velamina ſcripturarum, earúmque nodos atque ęnigmata ſoluit, ſequuntur graues cenſuræ: quibus conſtanter Aſtrologicam diuinationem Dæmonibus fœderatam, & quo magis vera denunciat, eò magis fugiendam aſſirmat.

CAP.6. Diui Gregorii Tropologicæ Theologiæ, placidi, ingenioſique eloquii primaris, aduerſum eoſdem Aſtrologos ſolida, ſubtiliſque ſubſcribitur redargutio.

Cap.

C A P.7. Quid ſancta decreta ſtatuerint aduerſus Aſtrologos, futura prædicentes, ipſorúmque conſultores.

C A P.8. Placita Scholaſticorum Theologorum circa futurorum ex aſtris præſagia, & quid de Aſtronomicis imaginibus ſentiendum.

C A P.9. Ciceronis iudicium de prognoſticis Aſtrologorum ipſorúmque vafritie.

C A P.10. Peroratio eruditione, pietatéque Chriſtina fœcũda, damnáque ex Aſtrologica diuinatione procedeuntia enumerans, ponénſque ob oculos.

Franciſcus Merula ad lectorem.

QVæ ſpecie nos falſa boni res diuite fallit,
Nota minùs, lædit grauiùs: vix apta mederi,
Vix reperit medicum. veluti pulcherrima cœli
Forma perẽnis adhuc, quo tempore ſemita veri
Agnita per Chriſtũ non itur, & inuia paſſim
Multa parens error fœcundat, numinis inſtar
Maius habet. ratio quòd multum credere fallax
Implicat incautos ſenſus, & carnis amantes.
Nam fugit imprudens animi mens arbitra pondus
Ferre ſui: tum more malo ſibi ſuaue voluptas
Malle coacta cupit: ne culpæ conſcia, pœnæ
Sit rea iudicij: quod virtus ardua ſolum
Vi redimens ſudoris habet. ſed lata ſequentes
Qua via molle fluit, delectat ſponte morari.
Cuius & oblatam, quæcunq; ſit, arripit anſam
Hic ratio ſolers. virus quod adultera verbi
Littera diuini ſuadet: dum turpibus apris
Fons ſacer immiſſas præfert cum ſordibus vndas.
Et fugit indignans fœdæ ludibria teſtæ:
Qui fidei perpurus odos, ſibi purius hoſpes
Vas humilis bene mentis amat. nec luminis ardor
Glorius immenſi ſplendorum ſolis, obumbrans.

Non hominis lumen perſtringit debile noſtri.
Et malè maieſtas animis tentata ſuperbis,
Opprimit æterna rerum ſub mole, coacti
Vim cineris. Quæ ſumma Dei per crimina læſi,
Peßima perpeßis peius vindicta minatur.
Nos Deus effrenes, nos cuſtos Angela virtus,
Iure ſuos noſtris nos deſeret hoſtibus hoſtes.
Nec (vereor) propè re vera, tum nomine Chriſti
Hoſtis abeſt: quem mira Deum vi cælite virtus,
Mira Deum natura putetur cuncta fateri.
Artifices hoſtis cum diuum ſanctio fraudes
Poße dabit caput in noſtrum, quæcúnque libebit.
Fugere magna poteſt vis peſtis in aëre regnans.
Hoc iouis inceſtum tot ſecula numine probrum,
Rex hominum, Rex eſſe Deum ſe fulmine finxit.
Ducit eò malè perſuaſi nos fabula fati:
Qua Dominus noſtri damnatur criminis author.
Ac ea ſtellarum de vi, quæ ſomnia fingunt.
Quæ meritum, decus, & ſancti ius iure creantis
Impia dant rebus, fortuna fortè creatas
Quas ſtatuunt. via diuinos quæ fædat honores:
Qua ſuperi rea mens ortus male neſcia veri,
Fine boni fruſtrata ſuo, ſe mancipat ignis
Morte iugis: brutum dum ſerua cadauer adorat.
Quod ſcelus horrendum ratio ſpecioſa veneni.
Cogitat artificis: quæ noſtros ſyderat actus.
Peßima res: nec falſa minùs. ſi noſſe laboras:
Hoc probat, hoc veri naturæ fontibus hauſti.
Vis ea, quam fidei doctor tibi Spiritus armat

Teſtibus,æternæ quos ſancit acumine laudis,
Artibus ingenij quantùm datur,optima virtus.
Ergo legens medici graue pondus honore magiſtri,
Adde memor dictu,& fratrum confer in vſus
Sanus opem,qua ſis in Chriſto pluris amando.
Non temerè tibi tanta fides inuenta maligni,
E tenebris queat arte pari vim prodere falſi:
Vnde ſui cauet æternum ſibi quiſque periclum:
Et priùs hi:natura quibus vi ſegrege fœlix
Ingenij ſuper excellit.quos perfida crebro
Fraus vitiat morbi:cuius tibi nobile cunctos
Remedium præit errores:quibus atque ſuperſis:
Si ratio bene docta patrum,bene ſancta ſacrorum,
More ſuo ſimplex,quô ducit certa,ſequaris
Promptus amans verum puro candore doceri:
I pede,quâ laſſus bos fixo fortiùs hæret:
Ac animum bene quod gratum teſtatur,eidem
Plura velis debere reus,cui plurima debes.
Hæc manus eſt tibi fonte Deo,quæ ſæpius hauſit
Pura ſalutis aquas:quæ ſanctum publica munus
Laude regit magna:quæ præſens dextera donum,
Tot meritis ſuper addit:eo tibi pignore firmans
Patris amor,quos ſpirat adhuc tibi gignere fructus.
Cui pretium Chriſtus det honoris,& otia vitæ.

SPECTABILI

ac clariſsimo viro, domi.

FRANCISCO BARTHOLOMAEO, Regiorum libellorum magiſtro F. Spiritus Roterus ſacroſanctæ fidei Inquiſitor ac miniſter, ſalutiferam

SALVTEM.

SÆPENVMERO (vir clariſsime) in domũ noſtram, vt ſacram Academiam, diſcutiendis fidei negotiis dicatam, conueniunt viri, pietate, doctrináque præditi. Inter quos paucis abhinc diebꝰ, cùm agitaretur ſermo de tot deprauatis dogmatibus, quibus hæc ætas (quaſi præ ſenio delirante mundo, variáſque patiente phantaſias) abundat, facta in primis mentio fuit pernicioſæ Aſtrologicæ diuinationis. Quam cùm ſacris oraculis, iudicióque Eccleſiæ cõſtet ab orbe Chriſtiano fuiſſe relegatam, hoc ſeculo tamen perinde ac poſtliminio reuerſa ferebatur: atq; ob lenociniũ præſcientiæ futurorum (quam vaniſsimè pollicetur) à multitudine

tanta

tanta cum gratia recepta, vt vel peritos, & qui aliquid eſ-
ſe videntur, non pudeat obnixè dies, & horas obſeruare,
vitæque ſuæ, ac liberorum ſuorum præſagia ab iis, qui ſe
Aſtrophilos iactant, non modica ſtipe mercari. Quod
cùm ægrè à nobis crederetur, productus eſt liber inſcri-
ptus, Geniturarum, haud dubiè à quopiàm cacodæmo-
num alumno cócinnatus: in quo purpurati patres, & qui
regalia ſceptra gerunt, tum & ii, qui clauum Eccleſiæ te-
nuerunt, aſſeruntur ſuarum natiuitatum iudicia, ab hu-
ius farinæ hominibus magno pretio redemiſſe: Qua in-
dignitate, tantóque ouilis Chriſti periculo commotus,
diſputationem hanc aduerſus peſtiferum iſtud diuinandi
genus, literis mandandam exiſtimaui, ea ipſa velut ſpon-
gia cupiens hanc impoſturam delere ab animis, hac ſu-
perſtitione occupatis. Affirmare certè auſim innumeris,
tum legendo, tum audiendo collectis teſtibus, quotquot
diuinaculis iſtis fidem præbuere, aut Chiromantiæ (qua
ad infidelitatem via paratur) incubuere, perinfœlices &
miſeros tandem euaſiſſe. E diuerſo bonis afflatibus, ſecun
diſque rebus vſos, qui vanitate harum artium reiecta, ſu-
perni numinis fauore implorato, rationis, ac prudentiæ
luminibus innitendum cenſuere. Cuius veridici dicti tu
locuples teſtis eſſe potes. Cum enim Deum colere, & fre
quenter reginæ mundani corporis, diuinæ prouidentiæ
tete ſupplex committere, verbi Dei aſsiduus auditor eſſe,
& ſub ſeculari chlamyde religioſe verſari, ab adolenſcen-
tia didiciſſes, cœleſtem ſapientiam aſsiſtricem ita tibi có-
ciliaſti, vt ea gradatim deducéte, inter iuris prudentes có-
ſultiſsimi, inter cauſarum patronos diſertiſsimi, ac fi-

 deliſsimi

deliſsimi,inter demum ſupremi tribunalis Senatores integerrimi,atque diligentiſsimi,publicæ vocis teſtimoniū promerueris.Nec tibi ad optimè inſtituendos mores,parum adiumenti contulit domeſticum exemplar,venerabilis videlicèt auunculus tuus,Do. Ioannes Bartholomæus in Auditorio Inquiſitionum Curiæ ſublimis, inclytus Præſes.Quem ego veteris monetæ purum nummū vocandum cenſeo,quòd ab hypocriſi, ambitu, vitiiſque huius infamis tempeſtatis alienus,antiquæ probitatis repreſentet effigiem:ſimul(rara profectò auis) vt alter Samuël,& tabernaculo domini,ſacróque,quo fungitur,ſacerdotio,diuinis & laudibus indefeſſo ſpiritu vacans, & iuſtitiæ trutinam ſumma cum æquitate, ac vigilantia librans. Intereà ſuper egenum & pauperē intelligere admodum ſolicitus: ſingulari Dei dono vtránque ſororem,Rachelem & Liam,Martham & Mariam, ſtudiosè complectens. Hanc tu faculam accenſam coràm ſemper habens,non poteras à virtutis amore frigeſcere.Nūc verò in eminenti,excelsóque magiſtratu conſtitutum, Chriſtiana philoſophia,qua iamdudum fueras imbutus, te admonitum reddit,vt quanto tibi accreſcunt diuinæ beneficia largitatis,tanto magis obnoxium,obæratúmq; exiſtimes,ad Reipublicæ vtilitatem procurandam,iuſtitiam excolendā:in primis verò ad vnicæ fidei, Chriſtiq; omnium bonorum fontis reſtituendam, augendámque gloriam,quam nimiùm inclinatam nemo verè pius non ingemiſcit.In via enim Dei non proficere,deficere eſt:& qui talentis creditis nō ſuperlucratur,iacturam facit.Nec enim te minùs generoſo decet eſſe animo illo Ethnico

Catone

Catone: de quo illuſtris poëta cecinit.

Non ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo.

Verùm quia equo ſponte currenti haud opus eſt calcar addere, & tu præceptoris potiùs, quàm auditoris perſonam gerere vales, id tantùm ſubiiciam, hanc diſſertationem (alioqui grauem, longóque volumine tractabilem) in breue me contraxiſſe compēdium, ne delicata, illaboriosáque huius æui ingenia, ab ea percurrenda, moleſta prolixitate auerterentur. Quam & perſpicuitate ſermonis familiarem (niſi fallor) ita reddidi, vt non modò doctis, verumetiam initiatis non dubitem fore peruiam, atq; facilem. Cùm enim ſapientibus, ac inſipientibus debitores ſimus, venenúmque huiuſce ſuperſtitionis promiſcuè, & in vniuerſum ſparſum feratur, oppidò neceſſarium iudicaui huiuſmodi parare antidotum, quod communiter, & quibúſque accommodari ac prodeſſe queat. Porro hanc operam ſub clariſsimi nominis tui auſpiciis in lucem pro dire volui: tum quòd omnes has inſanias, vanáſque expectationes Chriſtiano animo ſemper ſis auerſatus, vſurpans illud Dauidicum, Mihi autem adhęrere Deo bonū eſt: ponere in Domino Deo ſpem meam: tum vt hoc graue munus obſtaculis, & aduerſariis plurimis circunſeptū, ac expoſitum, te adhortante (ne dicam impellente) à me ſuſceptū, tuæ authoritatis fulcimento feratur leuiùs, exerceatur tutiùs, conſummetur fœliciùs. Æquum enim eſt, vt qui fueris author oneris, particeps ſis & laboris: proindéque conſors præmii, ab æterno parente omnibus, pro Chriſtiana veritate laborantibus deſtinati. Quem oratū cupio, te repleat longitudine dierum, & oſtendat tibi ſalutare

lutare ſuum. Toloſæ è ſanctæ Inquiſitionis ædibus, Anno Chriſtianæ ſalutis Milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto. Menſe Iunio.

ERRATA.

Facie. 2. D. 3. manere, lege manare. Eadem facie non beneuolens, lege non beneuolus.

E facie. 2. aſſeramus, lege aſſerimus. E. 2. facie. 1. huiuſmodi, lege huius nodi. E 3. fac. 2. referendo, lege referenda.

E 4. fac. 2. terra pertulit, lege profert.

F 2. fac. 1. perpetua futura, lege fætura.

G 3. fac. 1. in Elegia Solonis Penſa, lege Denſa.

H 3. fac. 1. alienarum formarum, lege fortunarum.

In Præfatores & Progno-
STICOS FVTVRORVM EVENtuum, Diuinatricémq; Aſtrologiam Liber primus

Auctore R.P.F. Spiritu Rotero Aquæſex-ſtienſi Ordinis Prædicatorum. Inquiſitore Toloſano.

PRAEFATIO, IN QVA Auctor ſui inſtituti rationem aperit.

VVLGATA communiq; ſuffragio recepta ſententia eſt, omnes homines natura ſcire deſiderare, & vt nec oculũ viſu, nec aurem auditu, Ita nec animum vlla rerum cognitione repleri. Cuius tam vaſti deſiderii cauſa eſt, intellectꝰ humani immenſa capacitas: in quo perinde vt in amplo ſpeculo rerum omnium ſimulachra, imagineſq; recipiuntur. Huic quapropter auiditati nuſquàm imponetur terminus, donec appareat gloria Domini, ipſeq; intellectus ſummi interminabiliſq; boni intuitu, ac fruitione quieſcat. Tantiſper autem dum in hoc mortali corpore peregrinamur à Domino, & per ea, quæ facta ſunt, & quæ in hoc mũdi theatro cernuntur, ſcientiam mendicamus. Moderanda eſt hæc cupiditas ſciendi, certiſq; coërcenda cancellis:

Eccl.1.

Pſal.16.

A vt

vt nō ſapiamus plus,quàm oportet,ſed ſapiamus ad ſo-
Rom. 11 brietatem.Nec eò temeritatis deueniamus,vt in modum
illius Icari Vergiliani alas curioſitatis ad altiora nobis eri
gentes,in errorum pelagus,dementiámq; decidamus prę
cipites.Quàm periculoſa enim ſit,effrenis ſciendi cupidi-
*Gene.*3. tas,generis noſtri parentes primi magno ſuo,ſuorúmq;
natorum docuere malo.Qui de arboris ſcientiæ boni &
mali(vt omnia futura prę ſcirent)fructu vetito deguſtan-
tes,ſeſe,poſteróſque ſuos geminæ morti ſubdiderunt. At
tam luctuoſo parentum exemplo filii minimè corrigun-
tur. Suntetenim non pauci,qui rapinam ſacrilegam medi
*Iſa.*24. tantur,illius effecti æmulatores,qui dicebat in corde ſuo,
Aſcēdam in cœlum,ſuper aſtra exaltabo ſolium meum,
& ſimilis ero altiſsimo.Hi nēpe ſunt,qui in cœlis,& inter
ſydera verſari ſe gloriantes,per aſtrorum magiſteria præ-
ſcire ſe dicunt totius humanæ vitæ noſtræ ſtatum,fortu
nas,ſtudia,bella,victorias,fatáq; prīcipū,annonę quóq;
caritatē.Qua prædictione anſam præbēt improbis fœne
ratoribus Heluonibúſq; Eccleſiaſticorū prouētuū,inopiā
inducendi.Denique ſingulos per annos libellos Progno
ſticos,Ephemeridáſq; (quos Almanachos vocant)Paga
niſmum referentes ſpargunt,ac venditant,in non modi-
cam diuinæ æternęque præſcientiæ iniuriam : quinetiam
in populi,nobilium ac principum faſcinationē.Et quod
perpudendum eſt,in nōnullorum Thyaratorum(qui nō
minùs exemplo , quàm peccato nocent)non mediocre
dedecus.Quos de toto vitę ſuæ progreſſu,exitúque ferūt
hos vaniſsimos conſulere,præſagos,illorúmque prę fatio-
nibus

nibus non ſecus,ac ſi ex tripode prodirent,aſſentire.Qua nimirùm perſuaſione vera in Deum fiducia,pietáſq; imminuitur.Frigent preces,quinimò & intermittũtur.Prætenduntur excuſationes in peccatis, pœnitentiæ ſpiritus extinguitur,perſuaſis mortalibus,ex Dominio,virtutéq; ſiderum proſpera omnia & aduerſa,bonáq; & mala opera proficiſci. Hac autẽ exiſtimatione ſanctæ religioni,hominũq; ſaluti nihil repugnantius,nihil Atheiſmo vicinius eſſe,tũ à me,tum ab aliis,pro ſacris cõcionibus frequẽter inclamatũ eſt. Verùm quia ſæpius mihi obiicitur illud.
Vox prolata perit,littera ſcripta manet.
Renaſcentibúſque noxiis ſtirpibus opportunum fore falcẽ redacuere atque admouere,arbitratus ſum operæpretium fore literaria,ſtabilique dictione patefacere, quàm ſit non modò vana,ſupérque arenam fundata,verumetiã illicita,prophanáque hæc futurorum per aſtra diuinatio. Quámque grauiter delinquant, qui has pennatas volucres,diuinæque præſcientiæ compilatores conſulunt,fidémque illis præſtant,ſimul & admonere quoſlibèt Chriſtiano nomine decoratos,vt meminerint illius ſacri Dauidici carminis:Beatus vir,cuius eſt nomen Domini ſpes eius,& non reſpexit in vanitates,& inſanias falſas.

CAPVT PRIMVM.

De diſcrimine inter Aſtronomiam & Aſtrologiam,ipſiúſq; Aſtronomiæ laudibus,& quòd Aſtrologiæ inuentionem Diuus Auguſtinus ſeductoribus dæmonibus tribuat.

AStromoniam (tantùm abeſt) vt carpere velimus, vt potiùs magna laude dignam ac vtilem iudicemus, vt pote altiorem reliquis liberalibus diſciplinis. Hæc enim ipſa cœlorum Aſtrorúmque continua reuolutiõe, ordine, ſplendore, mortalium animos erigit, ad inenarrabilem ſummi opificis potẽtiã ſapiẽtiámq; contemplandam. Cœli enim (vt cantor diuinus cecinit) enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annũciat firmamentum. Et alio loco, Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas, quæ tu fundaſti. Vnde pręclarè dicebat Plato, Aſtronomiæ cauſa oculos hominibus datos eſſe, quòd putaret mentem illam, quæ omnia peperit, omnia regit, & ad quam cuncta ſunt referenda, hac ſola via, cœlorum videlicet motu, ordine, pulchróque ſiderum aſpectu cognoſci poſſe. Quapropter nobiliſsimę huius artis inuentionẽ referamus, oportet, ad primos humani generis procreatores, qui pietate, ac ſapiẽtia excelluerunt, ſuíſque poſteris in cultu Dei ſibi ſuccedentibus, eam commendarunt. Hanc Abraham Patriacham inclytum, cùm in Aegyptũ deſcendiſſet, Aegyptios docuiſſe Ioſephus aſſerit. Vt per diſciplinam rerum cœleſtium ad vnius veríque Dei agnitionem traherẽtur, demúmq; ab Aegyptiis ad Græcos, à Græcis ad cæteras orbis

Pſal. 18.

Pſal. 8.

Plato in Timæo.

Ioſeph. lib. 1. antiquita.

orbis regiones fuiſſe propagatam. Quòd ſi quis preſsiùs attendat huius diſciplinæ ſummitatem, tanto interuallo fatebitur eam reliquas omnes artes excellere, quanto altiſsimi cœlorũ orbes, ima terræ pondera ſuperant. Quandòquidèm hæc, cardines polorum, cœlorúmque oppoſitos motus deprehendit. Cœlum quinque Zonis cingit, menſam ſolis deſcribit, orbem vniuerſum Aequinoctiali linea æqualiter diuidit. Zodiacum circulũ in partes duodecim ſecat, Aequinoctia deſignat, breuitatis, prolixitatiſque dierum ac noctium rationem reddit. Solis Tropicos, acceſſum eius, ac receſſum (vnde quatuor anni tempora variantur) demonſtrat.

Laus Aſtronomiæ.

Hæc canit errantem lunam, ſoliſq; labores,
Quid tantum Oceano properent ſe tingere ſoles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obſtet.

Vergi. 1. Aeneid.

Eclipſes præuidet, ſeptem climata, gradus, Horizontes meridianos miro acumine rimatur. Vagantium ſtellarũ curſus proſequitur, ac ſiſtit. Ianua certè eſt totius altioris philoſophiæ, aditum præbens non exiguum ad ſapientiæ diuinæ arcana perſcrutãda. Quapropter à Deo delapſam potiùs, quàm humano ingenio inuentam credere par eſt. Vnde hãc diſciplinam admiratus amœnus, ingenioſuſq;, Poëta Naſo ita cecinit.

Fœlices animæ, quibus hæc cognoſcere primùm.
Inq; domos ſuperas ſcandere cura fuit:
Credibile eſt illos vitijs pariterq; lociſq;.
Altiùs humanis exeruiſſe caput.
Non venus & vinum ſublimia pectora fregit,

Officiúmq; fori, militiæq; labor.
Nec leuis ambitio, perfuſáque gloria fuco,
Magnarúmue fames ſolicitauit opum.
Admouere oculis diſtantia ſydera noſtris,
Aetheráque ingenio ſuppoſuere ſuo.

Finis Aſtrolog.

¶Sedenim Aſtrologiæ alia ratio, alius finis eſt. Aſſumit námque ſibi diuinationem quam Græci Manticen vocant. Ex poſitione enim certorum ſyderum vagantium (qui Planetę vocantur) in Horoſcopo natiuitatũ coëuntium, ſortiri dicunt vnumquémque totam vitæ ſuæ deſtinationem. Aſſerúntq; poſſe eam prædici ab illo, à quo Horoſcopus harum natiuitatum deprehenſus fuerit: & hæc eſt illa traditio, quam vocant Aſtrologiam ſeu Matheſin. Quæ & fimbrias vanitatis ſuæ dilatat ad dies, horas, ferméque ad temporis inſtantia, ex notatione ſyderũ, in his momentis concurrentia, proſperos aut ſiniſtros euentus aſſerens ſibi fieri præuiſos, háncq; partem Aſtrologiæ Apoſtelematicam, hoc eſt, de interrogationibus, electionibúſque, nominant. Quis autem fuerit tam arrogantis, inſulſæque diſciplinæ inuentor, non ſatis conſtat. Ferunt enim multi Zoroaſtrem hunc fuiſſe, quem & in ſua natiuitate riſiſſe dicunt: qui tamen mortẽ, qua à Nino rege Aſſyriorum peremptus eſt, præuidere nequaquàm potuit. Alii Prometheum, alii Atlantem, alii Chaldeorum magos, alii Aſſyrios huius, per aſtra diuinationis repertores tradunt. Poſtremò Arabes, magna farragine inaniũ Thematum hanc artem auxerunt, & vbique diſſeminarũt. Quos cùm videamus, cum ſuo impuro Pſeudopropheta

Augu. libr. 21. de ciuit. dei.

pheta Mahometo, de ſummo bono, hominiſque fœlicitate, ita inepte ſordideque ſentire, nemo ſanæ mentis iudicabit de ſecretis cœlorum, futurorumque præſcientia, aliquid recte poſſe diffinire. Quocirca verior Auguſtini ſententia iudicanda eſt, qui libro de doctrina Christiana ſecundo, poſteaquam plures illicitas, & a vero Dei cultu alienantes ſuperſtitiones collegiſſet, & Genethliacos, Mathematicoſque adnumeraſſet in malignos ſpiritus, variis modis ad ſeducendos homines inuigilantes, omniũ illarum artium refert inuentionem, ita concludens. Omnes igitur artes huiuſmodi, vel nugatoriæ, vel noxiæ ſuperſtitionis, ex quadam peſtifera hominum, dæmonumque ſocietate, quaſi pacta infidelis, doloſæq; amicitiæ conſtituta, penitus ſunt refugienda homini Chriſtiano. Hæc enim omnia tantum valent, quantum præſumptione animorum, quaſi communi quadam lingua cum dæmonibus fœderata ſunt, quę tamen omnia plena ſunt peſtiferæ curioſitatis, cruciantis ſolicitudinis, mortiferæ ſeruitutis.

Augu. lib. 2. de doctrina Chriſtiana.

Augu. verba notãda.

Hæc Auguſtinus plura alia ad eandem rem ſpectantia texens, quæ ſuo loco inferius inſerentur. Sed hæc ſatis de diſcrimine inter Aſtronomiam & Aſtrologiam, & de inuentoribus vtriuſque.

*CAPVT SECVNDVM.

Reijciendam, damnandámq; Aſtrologiã, quòd ſibi id arroget, quod ſoli Deo peculiare eſt: Præſcientiam ſcilicet futurorum euentuum, imitetúrq; altitudinem Sathanæ.

COncinit ſacer muſicus,
Pſa. 36. Deus quis ſimilis erit tibi? Et rurſus, Quis in nubibus æquabitur domi-
Iob. 32. no? Similis erit Deo in filiis Dei? Et in libro Iob dicitur, Deum homini non æquabo. At iſti, qui fata, non modò priuatorũ, verumetiam principum proſperos, ſyniſtros caſus, bellorum motus, inclinationem regnorum, religionis decrementa, omniáque nobis ventura ebuccinant, nonne aſsimilari, æquaréque
Ro. 4. ſe Deo conãtur, cui ſoli præſentia ſunt, omnia futura, & qui vocat ea, quę nõ ſunt, tãquam ea, quæ ſunt? omnia,
1. reg. 9. quæ pręterierunt, & conſequutura ſunt, oculo ſuæ æter-
Vidẽtes olim dicebãtur prophetæ. nitatis ambiens, intuénſque, & qui pro ſuo beneplacito ea ſuis reuelat Prophetis, qui olim ideo videntes dicebãtur, quòd ſoli ipſi ea, quæ procul abeſſent, & quæ ab hominibus ſentiri nequirent, perinde átque præſentia, diuino ſpiritu afflati cernebant dęnunciabántque. Proinde, vti
Iſa. 41. reos maieſtatis diuinę, ſacer Iſaias futurorum diuinatores

arguit,

arguit, Annunciate, inquit, nobis, quæ ventura ſunt in futurum, & dicemus, quia Dii eſtis vos. Benefacite quoque & malè, & loquamur, & videamus ſimul. Senſus horum verborum eſt. Cum futura bona, aut mala facere non ſit in veſtra poteſtate, quomodò illa præſcire, aut prædicere valetis? Proculdubiò diuinæ ſimilitudinis rapinam committitis, dum futurorũ præſciẽtiam diuinitati propriam, vobis vſurpatis. Sathanæ profectò altitudinem æmulari dicendi ſunt iſti, cupiẽtis ſimilem ſeſe fore altiſsimo cuius altitudinis Sathanæ meminit ſacra Ioannis Apocalypſis. *Apoc. 2. Altitudo Satha.* Quicúmque inquit, non habent hanc doctrinam, & qui non cognouerunt altitudinem Sathanæ, non mittam ſuper eos aliud pondus: Quid enim aliud eſt, cognoſcere altitudinem Sathanæ, quàm illius ſequi elationem, qui vanorum oraculorum de futuris prætextu, toti mundo illuſit, diuinitatiſque nomen hac arte ſibi vendicauit? Nec enim ignorare nos decet, diuinos illos quos toties ſcriptura diuina prohibet adiri, & auſcultari, Diuo Hieronymo teſte, illos ipſos eſſe, quos nos vocamus Aſtrológos, *Hiero. ſuper Iſaiam ca. 26. & ſup Daniel. cap. 2.* & Genethliacos. Quos quidèm, vt ſapiẽtes, diuinitatiſq; conſcios, regum omniúmque mortalium fata, per aſtrorum aſpectus prædicere poſſe exiſtimabat gẽtilitas. Quo errore correpti fuere etiã Iudæi, poſtquàm cõmixti ſunt inter gentes, & didicerũt opera eorũ. Cœli quippe coluere militiam, Dianæq;, hoc eſt lunæ, quam cœli reginã credebant, ſacrificabant, aſtra animata putantes. Eo nempe *Hiere. 29. 7. & 48.* tẽpore, quo ſub egregio ductore Moyſe militabant, nulla aſtrorum diuinatione, nullo augurio aut ſuperſtitione,

ſed ſolo dumtaxat diuino inſtruebantur eloquio. Qua vt præclara laude populum hunc commendauit, ex alto monte, antiquus ille celebratúſque vates Balaam. Nō eſt, inquit, diuinatio in Iacob, nec augurium in Iſraël. Iis verbis innuens potiſſimam cauſam, qua populum Iſraël benedicere cogebatur, hanc eſſe, quòd inter omnes populos & gentes, ſola hæc natio omni ſuperſtitione, futurorúmque noſcendorum curioſitate vacaret. Sed ſola diuinæ prouidentiæ fide, atque expectatione penderet, quæ aſtris vtitur, vt miniſtris, ſua decreta minimè præcedentibus, ſed ſubſequentibus, exequentibúſque: cùm pro meritis aut probatione hominum aduerſa immittit, aut proſpera. Fit itáque perſpicuum execrandam hanc fore doctrinam, vtpote quæ ad diuinitatis ſimilitudinem aſpiret, redoleátque Sathanæ altitudinem.

Nume ri. 23.

*CAPVT TERTIVM.

Proſpera & aduerſa immitti in hunc mundum pro meritis, qualitatéque vitæ hominum, non ex aſtris, ſed per aſtra. Vnde antequàm eueniant, niſi Deo reuelante, à nemine poſſe præuideri.

Sap. 5. *Pſal. 31.*

ARMAT quidèm Deus teſte Sapiēte, creaturam, in vltionem impiorum, multáq; ſunt flagella peccatoris, & qui propter iniquitatē corripit hominem, & tabeſcere facit ſicut araneam, animam eius. Itidémque donat dies videre bonos, pacémque hominibus bonæ voluntatis, & abundātiam in

in turribus eorũ. Verùm hæc ipſa, non ex originali aſtrorum curſu (qui naturalis eſt, & ordinatus) proueniũt, ſed ex afflatibus ab auctore ſuo, illis aut collatis, aut ademptis, pro meritis, rectáque aut deprauata hominum vita, qui ſui arbitrii libertate, deíq; beneficiis, nunc bene vtuntur, nunc abutuntur. Frequentiùs tamen (cum longa pace affluentia quæ donãtur) reiecto diuinę legis, rationíſq; freno, veluti pecora in voluptatem feruntur, aut inordinato creaturarum amore trahũtur. Pro, inquam, viuendi hominum iuſto, vel iniuſto ritu, tẽperat Deus aſtrorum, elementorúmque vires: per quæ cœli ſyderúmque afflatus, ſecundarúmque cauſarum facultates, diuinorũ erga res humanas decretorũ fit exequutio. Ipſe enim dixit, & facta ſunt; mandauit & creata ſunt. Verùm quemadmodùm ex ſolo aſpectu, aut occurſu miniſtrorũ, lictorúmue gladium faſcéſque portantium, formam decreti, ſententiámque iudicis (donec iudex ipſe illam protulerit, miniſtríſque exequendam mandauerit) nemo eſt, qui cognoſcat, aut certum aliquid renunciare valeat. Haud aliter ex aſpectu, ſcrutinióue ſtellarum, cauſarúmque naturalium effectus, qui ex ipſarum efficacia pendent, ab huiuſcemodi rerum peritis pręuideri poſſe nemo ibit inficias. At illa, quæ in diuinæ prouidentiæ aula decernũtur, ad regimen, ſalutem, correctionémque nobiliſsimæ creaturæ, ad effigiem æterni, ſummíque Dei formatæ, hominis videlicet ſpectantia: donec ipſe diffinierit, aut ea per ſacros vates ſuos denunciauerit, nemini conceſſum eſt deprehendere. Quis enim Chaldæorum, faciem cœli adeò ſtudioſè

Nota ſimilitudinem.

 contem

contemplantium, pacem illam per vniuerſum orbem,
Luc. 2. Chriſto ex virginis aluo naſcente proclamatã,& ita prolixam,vt conflarent gladios ſuos in vomeres, & lanceas
Iſaiæ. 2. ſuas in falces:præuiderat,aut verbum vllũ de hac re tam inſolita fecerat?Quis Aſtrologorũ per magnas illas,quas vocant,planetarum coniunctiones fata vrbium,regionúmque deſcribentium præfatus fuerat cultũ priſcorum deorum deſerendum,tótque inueteratos mores,&longa obſeruatione præſcriptas religiones,in nouum euangelii dogma transferendas?Quis Aſtrophilorum per ſyderum vultus,aut poſitiones Romam,mundi caput & dominam,abiecto ſuo Marte(quo ſe ortam gloriabatur) deſertóque ſuo Ioue Capitolino in Chriſti fidem, iugúmq; tranſituram prędixerat?Quod ſi de ſyniſtris caſibus,orbẽ concutientibus quæſtio fiat,quis Aſtroprudentium famoſam illam aquarum cladem, qua cuncta fuere extincta viuẽtia,pręnouerat?Affirmante enim Chriſto, in die-
Gen. 7. bus ante diluuium erant homines comedentes & biben
Matth. tes,nubentes & nuptui tradentes vſque ad eam diem,in
24. &c. qua Noẽh intrauit in arcam,& non cognouerunt,donec
Luc. 17. venit diluuium,& tulit omnes. Si enim ex aſtrorum in ſignis aquæis conuenientia profectura erat,vt dicũt, hæc inundatio,præſagiſſent vtique illam viri,qui tunc ſupererant,admodùm longæui, magnóque ingenio præditi.
Auerrois. 3. de anima. Vtpote tot ſubtilium artium inuentores,affirméntque magni Philoſophi vniuerſam terram per naturam,vímq; aſtrorum inundari non poſſe. Quandoquidèm ſi quorumdam ſyderum violentia alicubi ſcaturiat aquarum

proluuies,

proluuies,alia ſydera diuerſæ,ac interim contrariæ virtutis aliud poſſe alibi efficere.Solus Noëh iuſtus, vitiiſque illius ſeculi incontaminatus,non ex ſtellarum ſchola,ſed diuino admonitus oraculo cladem illā prænouit,ratéq; fabricata euaſit.Tota Pentapolis igne cœleſti,& in momento cōſumpta eſt.An per horoſcopum,libramentáue natiuitatum prẹſentiri potuit illud incendium?Nihil minùs.Nec enim cùm eſſent homines illi diuerſarum ætatum,diuersíſque editi temporibus,naſci potuere ſub eadem coniunctione Martis & Veneris,in qua procreatos fabulantur ad nefarias libidines impelli.Sterilitatem illam famoſam ſeptennio totam terrā oppreſſuram,quis Ægyptiorum diſciplinæ aſtrorum ſummoperè incumbentiū (& ſi ſomnio regali fames illa deliniaretur)notauit,aut indicauit?Vnicus Ioſeph,non ab aſtris inſtructus,ſed in præmium ſuæ pudicitiæ diuinitus illuſtratus,eam prædixit,ſuáque prudentia venturæ occurrit egeſtati.Decem terribiles Ægypti plagas Iamnes & Mambres,qui cœleſtia,terreſtriáque complecti videbantur,priuſquàm immitterentur illæ plagæ,prorſus ignorabant.Diſsidium diuiſionémq; regni ſui,ſub malè ſenſato filio imminētem, nec ipſe Salomon(tametſi omnium mortalium ſapientiſsimus,in cœleſtique fabrica peritiſsimus)præuidit,faſſus ſe non exigua premi triſtitia,quòd habiturus foret hæredem,dè quo neſciret,an ſapiens,an ſtultus foret,dominaturus tamen omnibus ſuis laboribus.Euerſionē Hieroſolymæ, populíque Iudaici tranſmigrationem, præter ſacrum Ieremiam vatem præuidebat nullus, quanquàm

Gen. 19 *Thren.* 4.

Gen. 41

Exod. 5 3.*reg.* 12.

Eccle. 2.

ciuitas illa vaticinatoribus repleta foret. Quatuor Monarchiarum occaſus, atque viciſsitudines, quis inſpector ſyderum, aut ſapientium Babylonis præuidebat? Vnicus Daniel, vir deſideriorum, in cultúque veri Dei integer, & firmus, angelo doctore prænouit, deſcripsítque. Conſydera ſacros vates, quoties aduerſa, aut fœlicia prænunciabant, in exordiis ſuorum vaticiniorũ præmiſiſſe. Hæc dicit Dominus, aut, Verbum Domini quod factum eſt ad Iſaiam, Hieremiam, Amos, Micheam, & ita de cœteris. Sed cur hac hypotheſi vtebantur? népe vt docerent Prophetas non per ſtellarum poſitiones, aut diſcurſus, ſed ſolo Dei verbo (cuius ſolius eſt futura intueri) excitatos, quæ prædicebant, prænouiſſe ac denunciaſſe: intelligeremus pariter quotquot futura prædicant, naturæ modulos ſuperantia, verbo Dei nequaquàm inſtructos, magis veſano ſpiritu agitari, diligeréque vanitatẽ, & quærere mendacium, ab illóque prouocari ad ea euomenda, qui mendax eſt, & pater eius. Quos ſi vera dicere nonnunquàm contingat, eò magis cauere debeamus, quò ſub rara veritate confidentiùs grauia, pernicioſáque inſinuent mendacia. Eapropter dæmonia Chriſtum filium Dei vociferantia, Chriſtus ipſe increpabat, & non ſinebat ea loqui. Similiter & Paulus puellam ventriloquam, Apoſtolicam doctrinam commendantem Phythonico ſpiritu liberauit. Nouerant enim, quòd ſi loqui permitterẽtur, paucis veritatibus falſa plurima cógeſsiſſent. Proinde (vt prædixi) cùm ſit homo nobiliſsimum Dei opificium, vt pote ad imaginem ipſius effigiatus, conſtitutúſque ſuper omnia

Hier. 39 · *Daniel. 7. & 8.* · *Nota.* · *Luc. 4.* · *Act. 22.*

omnia opera manuum ſuarum, ad immortalitatē, æternámque fœlicitatē deſtinatus, omnia aſtra, dignitate trāſcendens. Puerile quinimo & indignū eſt arbitrari cœlorum vertigine regi, aſtríſq; ſubiici, eáue, quæ ſunt illi ventura ſtellarū apicibus depingi. Eapropter ſummus rerum moderator ſtellis, lucidíſque cœlorum globis (vt præfati ſumus) non vt præſagiis, aut ſignis eorum, quæ ſua æterna ſapientia ordinauit, ſed vt miniſtris exequentibus, quę fieri ſtatuit, pro decore vniuerſi, decentíque hominū gubernatione vtitur. Quis enim, niſi mentis inops, Plotino aſſentiat, affirmanti Deum in cœlo, innumeris ſyderibus diſtincto, velut in libro, aut tabula cuncta, quæ ventura ſunt deſcripſiſſe? An quaſi ſuæ memoriæ diffidens Deus, depicta charta, aut ſignaculis indiget, ne euaneſcant é mente ſua, quę à principio vētura dipoſuit? Quòd ſi huiuſmodi libro non eget Deus, cui vtilis erit liber ille, qui tam amplus eſt, tótq; lineis repletus, vt à nemine perlegi, aut tranſcurri queat? Præterea, vt rectè colligit Diuus Thomas, Omne corporeū ſignū à natura prodiens, aut cauſam ſuam, aut effectum deſignet, oportet. Porro aſtra cùm néque ſint cauſæ, néque effectus futurorū illorum, quæ non ex vi naturæ ſuæ, ſed ſolo Dei beneplacito proditura ſunt, iſtiuſmodi rerū ſigna eſſe nequeunt. Miniſtrāt quapropter, tantummodóque ancillantur diuinæ prouidentiæ, tum cœli, ſyderúmque legiones, tum elementorum moles, totiúſq; naturæ famulitiū ad hominē (quem quodam modo eſſe finem omnium aſſeruit Ariſtoteles) erigendum in primis in admirationē venerationémque

Contra Plotinū

Diuus Thomas 22.q. 95 Art. 5.

Ari. 2. Phy.

vniuerſitatis conditoris. Ad ipſum præterea hominē alendum, fouendū, variiſq; ſpectaculis erudiendū, & recreandum, denique corrigendū, emendandúmque, cùm à via iuſtitiæ imprudenter aberrauerit, aut de beneficiis diuinis, tanquàm à ſemetipſo profectis inſoleſcit, ſuique auctoris memoriā, ac timorem poſtergat. Tunc enim, ne vitia vertantur in naturā, & ne in culpas incurabiles dilabatur, néue dicat inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus, qui facta hominū curet, Per ea, quæ peccant homines, torquet illos: pérq; triſtes ſyderū afflatus, triáque illa flagella peſtem, famē, bellum, Dauidi, Gad propheta nuncio,
2. Reg. 24. deſignata non tyrannica vindicta (Non enim delectatur in perditionibus noſtris) ſed paterna prouidentia veluti
Tobiæ. 3 virga percutit errantes filios. Itaque ob vitiorū perſeuerantiā, diuinitatis contēptū, iniuſtitiā, & diuerſos dolos,
Eccl. 20 regnū trāsfertur de gente in gentem. Hypocritā regnare
Iob. 34. facit propter peccata populi, ſecundū merita ſubditorū,
Pſalm. 104. diſponendo facta regentiū, vocat famā ſuper terram, & omne firmamentū panis conterit. Terrā fructiferā vertit
Pſalm. 106. in ſalſuginē, à malitia inhabitantiū in ea: Prohibet nubibus, ne pluant, & (vt ſacer Moyſes cōminabatur) fit cœ-
Deu. 28 lum æneū, terráque ferrea. Redditur aër peſtilens, labo-
Amos. 3. res hominū pereunt abſq; fructu, immutatúrque ſyderū afflatus, (teſte nēpe voce Prophetica) non eſt malū in ciuitate, quod Dominus non fecerit. Quēadmodū igitur ridiculus is putaretur, qui videns diſſolutos pueros à patre vapulare, virgáque percuti, verbera hæc, & caſtigationes deputaret aſtris, alicuiue maleuolo planetæ, & non

potiùs laſciuię, erratíſque filiorum, paternæq; prudentiæ, quæ virgę non parcit, ne liberi malè pereant. Haud aliter deliri exiſtimandi ſunt Aſtrologi, qui plagas, maláq;, quibus affligimur, noxiis infauſtíſque conſtellationibus adſcribunt, cùm tota diuinæ ſcripturæ auctoritas, malorũ, quibus premimur, primarias origines aſtruat iniquitatẽ, improbitatem, ingratitudinémque noſtram. Aſtra verò, cœlorúmq; moleſtas impreſsiones, & elementorũ quóq; perturbationes, eſſe dumtaxat inſtrumenta, atq; virgam vigilantem, qua cœleſtis pater ad reſipiſcẽtiam, bonámq; frugem nos reuocare ſatagit. Quam ſententiam ſuo calculo approbat Apoſtolus inquiens, Quod ſi nos diiudicaremus, non vtique iudicaremur à Domino, cùm autẽ iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Patefactum itáq; ſatis arbitror, proſpera, aut aduerſa, non pro aſtrorum natura, ſed vitæ, ac morum noſtrorum verſatione immitti, nec, antequàm eueniant, ſyderali aſpectu, niſi Deo præmonente, poſſe deprehendi.

Nota.

1. Cor. 11

CAPVT QVARTVM.

Ariſtotelis quadam egregia ſententia ſubuerti Aſtrologicas de actibus humanis prædictiones: euidenti inſuper argumento probatur, liberum voluntatis arbitrium.

SCRVTATOR diligens ſupellectilis naturæ Ariſtoteles, ſapiẽter ſubtiliterque definiuit, non omnia de neceſsitate, ſed à caſu liberáq; cauſa (cuiuſmodi eſt voluntas) plura euenire, quæ futura cõtingẽtia vocẽtur, de quibus nulla habeatur ſcientia, aut determinata veritas. Qua ſanè ſententia, maxima ex parte Aſtrologorum dictamina, iudiciáque fathiſcunt. Scientiam quippe eſſe verorum, atque impoſsibilium aliter ſe habere, ratio nominis indicat. At de futuris, quæ nec ſunt, nec vllam ſui cauſam certam habent, quomodò firmum poterit ferri iudicium, antequàm fiant? Porro quæ cauſa magis incerta, magíſque lubrica hominis voluntate, quæ vix ſeipſam ſiſtere poteſt, ferméq; nuſquàm in eodem ſtatu permanet. Et, vt quidam ait de fortuna, Tantùm conſtans in leuitate ſua eſt. Et quæ ob innatam ſibi libertatem, non minùs ad varias, contrariáſque affectiones, quàm materia ad diuerſas formas recipiendas prona ſit. Aſtruere autem tum ſacris oraculis, tum variis argumentis libertatẽ voluntatis humanæ, quid opus eſt? Cùm nemo ſit humanam geſtans figuram, qui non ſentiat, non experiatur ſeſe ad volendum aliquid, aut nolendum, eligendum, aut reſpuendum, bene, aut perperam operandum ſponte ſua agi? Quis poſteaquàm vitioſè

Ari. de enũc. li. 4.

Ariſ. 1. Poſterio rum.

Iob. 13.

Ouid. li. triſtiũ. 5. Eleg. 9.

egiſſe

egiſſe ſe ſentit, pœnitudine pudoréque non tangitur, aut de honeſto opere non delectatur? At vnde poſt crimen admiſſum, triſtitudo hæc, & hic conſcientię morſus? Vnde, quęſo, omnis inordinatus animus pœna ſibi eſt? Hinc dubioprocul, quòd voluntas ſuæ libertatis conſcia, malè ſe vſam hac ſua libertate agnoſcit, & proinde in ſemetipſa erubeſcit, redarguitque ſeſe, pœnas ſibi ipſi ingerens. Vrgetur inſuper illud fateri, Quoniam iniquitatẽ meã cognoſco, & peccatũ meũ cõtra me eſt ſemper. Eorũ nẽpe, quæ violentia, aut neceſsitate à nobis extorquentur, nulla pœnitudine, nullóue pudore afficimur. Teſtem quocirca libertatis noſtræ conſcientiã fore indicauit Apoſtolus. Teſtimoniũ, inquit, reddente illis conſcientia eorum, & inter ſe cogitationum accuſantiũ, aut defendentiũ, in die, qua iudicabit Dominus occulta hominum. Nec latuit Ethnicos argumentũ hoc libertatis humanæ, ex pœnitudine patrati criminis deductum. Vnde Naſo exul,

Pſa. 50. *Argumẽtum euidẽter probans liberum arbitriũ* *Rom. 2.*

Pœnitet, ô ſi quid miſerorum creditur vlli,
Pœnitet, & facto torqueor ipſe meo.

Ouid. de ponto elegia. 1.

¶Audiantur ad eandem rem pertinentia, grauiſsima Iuuenalis Satyrici carmina.

Exemplo quodcùmque malo committitur, ipſi
Diſplicet auctori, prima eſt hæc vltio, quod ſe
Iudice nemo nocens abſoluitur, improba quamuis
Gratia, fallacis prætoris vicerit vrnam.

Iuuẽ Sa ty. 13.

ET ITERVM.

Euaſiſſe putas, quos diri conſcia facti,
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit,

Occultum quatiens,animo tortore,flagellum.
Pœna autem vehemens,ac multo ſæuior illis,
Quas & Sæditius grauis inuenit & Rhadamantus,
Nocte diéque ſuum geſtare in pectore teſtem.

¶Cùm igitur experientia libertatem humanæ voluntatis proclamet,nullam ad certam actionem limitatam, euidenter colligitur futura hominũ arbitria, conſilia,ſtudia, electiones,& quæcũmque ex voluntatis facultate pendent,nullo aſtrorũ aſpectu,nulla conſtellatione, nulláue humana inueſtigatione poſſe preſciri:Nam cùm incerta & ambigua cauſa eſt,nullum poteſt de ipſius efficientia, priuſquàm ſe promat,certum afferri prognoſticum.Sed illi ſoli omnia hæc eſſe aperta fatendum,qui condidit hominum voluntates,vti ſacrorum carminum modulator *Pſal. 31.* canit. Qui finxit ſigillatim corda eorum, & intelligit omnia opera eorum.

CAPVT QVINTVM.

Quæ ſint dicenda fortuita, caſualiáue, & quòd cum infallibili præſcientia Dei,ſimul ſtet libertas voluntatis,contingentiáque futurorum,& cur vetita ſit dierum temporúmque obſeruatio.

Fortuitũ quid dicendũ

ENimuerò quoniam aſtrologica vanitas,etiã ad prædicendos extrinſecos,& à caſu contingentes euentus progreditur, apertè conuincitur ea temeritas,ſi ratio fortuiti, cõtingentíſque rectè percipiatur.Fortuitum enim à tota claſſe philoſophantium deſcribitur,cuius finis non eſt ab

eſt ab aliquo agente præſtitutus, ſed præter intentionem euenit, nullam ſui cauſam habens voluntariam, aut naturalem. Verbi gratia, cùm quis fodiendo ſepulchrum, theſaurum inuenit, aut cùm quis ſagitta volens feram tranſfigere, hominem inter arbuſta latẽtem percutit: concurſus hic foſsionis ſepulchri cũ theſauri repertione, illa inſuper percuſsio, fortuita dicuntur, quia à nulla cauſa, nullóue agente præſtituta fuere, aut prę uiſa. Quapropter in nullam vim, aut aſpectum ſyderum referri poſſunt. Si enim caſus fortuitus, aut futurum aliquod cõtingens, ab vlla ſyderum poſitione penderet, proculdubiò fortuitum non eſſet, ſed potiùs certum, atque neceſſariũ. Vtpote fixam & in cœlo cauſam determinatam habens. Quod ſi conceſſerit aſtrologus (id quod fateri ipſum neceſſe eſt) nihil à caſu, aut fortuitò euenire, ſed omnia, quæ contingunt in cœleſtibus corporibus præexiſtere, aut in ipſis notata, pręſcriptáq; eſſe, conſequẽs erit, vt aſſerat omnia neceſsitate fieri, ac prodire, vique quadam fatali, & aſtrorum imperio cuncta regi, cui contrà niti nemo queat. Quis enim cœlo legibúſq; in eo iam præſcriptis reſiſtere poſſe ſe putet? Peribit itáque hac via tota libertas voluntatis humanę, vt rectè infert M. Tullius, Fruſtra erũt iura, legéſque flagitia prohibentes. Fruſtra laborabit humana prudentia, atq; ſollicitudo, in procurandis bonis, cauendiſque malis. Hócque pacto vniuerſus ordo iudiciorum, ciuiliſque confundetur conuerſatio, atque politia, cùm nihil ſit conſtitutum in hominum poteſtate, fati neceſsitate omnia ſibi vendicante. Quamobrem aſſertionem

Nota rationẽ efficacẽ.

Cic. li. 2. de diuinatione.

hanc,non modò vt falſam, verumetiam vt impudẽtem, atque impiã Athenienſes damnantes libros Chryſippi,fatalem neceſsitatem defendentis publicè combuſſerunt. Liquet igitur rectè Ariſtotelem affirmaſſe,non omnia de neceſsitate prodire,ſed plurima eſſe fortuita,& contingentia,quorũ,priuſquàm eueniant,nulla poſsit eſſe prænotio. Quam quidèm aſſertionẽ Chriſtiana Theologia intelligendã putat,ſaluo iure æternæ,diuinæque mentis. Cui nihil eſt fortuitũ,aut impræuiſum,ſed omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius. Stat tamen cum diuina,& certa omniũ futurorum præſcientia libertas voluntatis,ordóq; contingentium euentuum. Quandoquidèm lucidus ille omniũ futurorũ intuitus,libertatem arbitrii humani nequaquàm euacuet,néque tollat varios, incertóſque rerũ inter ſe occurſus. Declaratur autem concordia hæc diuinæ,videlicèt præſcientiæ cum libertate voluntatis,contingentiáque futurorũ,familiari exemplo. Vt ſi Dominus quiſpiam ſeruos duos ſui propoſiti inſcios,per diuerſas vias emittat,quò tandem ſibi mutuò occurrãt: occurſus ille ſeruorum,ſeruis ipſis fortuitus erit,& contingens, at Domino,à quo emiſsi fuerant,nequaquàm fortuitus, ſed præuiſus & certus. Affertur ex ſcripturis exemplum non diſsimile. Cùm Beniamin calicem,in quo augurari conſueuerat Ioſeph,in ſacci ſui ore compeériſſet, obſtupuere ipſe,omnéſque ſui fratres,rẽ adeò inopinatam & fortuitã admirantes. Verùm ipſi Ioſeph non erat illius crateris fortuita inuentio,ſed certa indubitatáque. Vtpote à quo tota huius rei ſeries foret præuiſa,atque ordinata. Haud aliter

Heb. 4.

Quomodò cũ libertate voluntatis ſimul ſtet vniuerſalis præſcientia futurorũ.

Gene. 42.

aliter nos ſentire decet,futura omnia diuinæ menti eſſe perſpicua,quorum plurima nobis,atq; naturæ ſint inopinata,& ad vtrámque partem contradictionis(vt verbo Dialectico vtar)volubilia,atque indifferentia. Inſaniunt proinde Aſtrometræ,accidentarios hominũ caſus fortunas,hæreditates,inopiam,principum gratiam, fauſta,aut infauſta coniugia(quę omnia ſunt fortuita , & ex nullis fixis cauſis prodenutia)per obſeruationes ſtellarũ ſe prę-uidere aſſerentes.Quis verò non admiretur dementiam, ſtupiditatémque plurimorum ita colentiũ falſos aſtrorũ fauores,vt nec ædificare,nubere,negotiari,veſtem nouam induere,nec domũ exire,aut aliud aliquid ad vſum vitæ cõmunis ſpectans aggredi audeant,non priùs conſulto aliquo nugatore aſtrologo,aut aliquo dierum, horarúmue inſpecto infantili diario,aut calendario.Quis pariter non irrideat,quinetiam non indignetur in eos, qui putant aſtrologas &,vt verius dicam,ſacrilegas ſe habere manus, exiſtimantes in volis manuũ ſeſe totam vitæ ſuæ ſeriem geſtare,quos Chiromanticos vocant:ô vanas hominũ mentes,& pectora cæca hominũ,indignorũ nomine Chriſtiano,filiorúmque adoptionis glorioſo titulo. *Nota.* Quibus nõ de nihilo metuebat Apoſtolus,ne Chriſti merito prorſus fruſtrarẽtur. Dies,inquit,obſeruatis,& mẽſes,& tempora,& annos,timeo ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis. *Gal. 4.* Quo verborum tonitruo exterritus Auguſtinus,ſic ait.Quis exiſtimaret,quàm magnũ peccatũ ſit,dies obſeruare,& tempora & annos,niſi huius mali magnitudinem,ex timore Apoſtoli penſaremus, qui ta- *Aug. i Enchiridio.*

libus ait, Timeo, ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis. Ex his verbis intelligit Lector ad tantũ periculum animæ pertinere ſuperſtitioſas tẽporum obſeruationes, vt dixerit Apoſtolus hominibus illis, Timeo, ne fortè ſine cauſa laborauerim in vobis. Quod quamuis tanta celebritate, atq; auctoritate per orbẽ terrarũ, in Eccleſiis legatur, plena ſunt tamen cõuenticula noſtra eorũ, qui tempora rerũ agendarum à Mathematicis accipiant. Hæc ille. Quòd ſi quis requirat, qua ratione hæc temporũ obſeruatio, adeò graue erratum iudicetur ab Apoſtolo, reſpondet Diuus Thomas in eodẽ loco, Huiuſmodi tẽporum obſeruatores venerari corpora cœleſtia, & hoc apertum fieri ex eo, quòd diſponant opera ſua, ſecundũ aſpectum, & iudiciũ aſtrorum. Quod nequaquàm facerent, niſi crederent ea poteſtatem habere ſuper opera hominum, quæ in diebus illis aut horis incohantur, vnde ad idololatriã trahit huiuſmodi obſeruatio. De fortuitis igitur, quid ſint, & quòd ſyderum obſeruationibus præuideri nequeant, hæc dicta ſint.

Notanda diui. Thomæ reſpõſio.

CAPVT SEXTVM.

Quæ commoda & beneficia à cælo & aſtris expectanda ſint, & quòd in cæleſtem patrem curam ſuam iactare debeat homo Chriſtianus.

Nolim

NOLIM ego ex iis, quæ retuli, exiſtimari, aſtra de cœlo velle deducere, hoc eſt ſpoliare dotibus, ſibi à conditore conſtitutis. Beneficia quippe nō pauca per luminaria, quæ Deus ſtatuit in firmamento cœli, mortalibus conferuntur, Solis præſertim & Lunæ, per quæ (quia copioſiori lumine, caloréq; abundant) procreationes, geniturǽque animantiū, omniúmq; ſeminū vires iuuantur, ad maturos fœtus ſuos proferendos: illuſtratur aër, exhalationes, atq; vapores ex terræ viſceribus, aquarúmq; antris in ſublime attolluntur, ex quibus conſurgunt (quas miramur) Ætheris impreſsiones: Solis proximitate ac diſtantia, caloris frigoríſq; fit alternatio. In quatuor tempora diſtribuitur annus, ſerenitatū, tempeſtatum, procellarum, ab vtróq; hoc luminari præſagia deſignantur, plantandi, ſerendi, putandi, nauigandi apta præmonſtrantur curricula, medendi congrua indicantur ſpatia. Dum enim à conditore formabantur, dictum eſt, Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidāt diem & noctem, & ſint in ſigna, & tempora, dies, & annos. Hęc & alia cōmoda à Sole, Luna, vniuerſóq; ſtellarum cœtu (vt paulò pòſt latiùs diſſeremus) præſtolari fas eſt. Ea verumtamen, quæ potentiam, metámque ſyderū tranſcendunt (vtpote euētus, fortunas, exitúſq; hominū, *Gen. 1.*

& illa, quæ diuina prouidentia ſibi retinuit) per homuncionum aſtris abutentium, cõmentitias relationes exquirere, aut poſtulare graui piaculo, reatûque in cœleſtẽ patrem admiſſo, non caret. Quem hominum per Chriſtum in filios adoptionis regeneratorũ, curam gerere pręcipuã ſacro docemur euangelio, quibus (modò credant, quærántque primùm regnũ Dei & iuſtitiam eius) neceſſaria

Mat.6 omnia adiecturum ſe pollicitus eſt. An igitur modicus cœleſtis patris contemptus, & non potiùs infidelitas eſt, filios à miniſtris & ſeruis, ſtellis videlicèt, quæ dare nequent, requirere? Indulgentiſsimum autẽ parentem, vtilia cuncta tribuere paratũ præterire? Quos non iniuria vox ſubſannat Dauidica, Vanũ eſt, inquit, vobis ante lucem

Pſa.126 ſurgere. Nimirum qui ante lucem ſurgunt, ii ſunt, qui quales futuri, priuſquàm naſcerentur, forent, per cõſtellationum ſuarũ ambages, certiores fieri laborant. Cur ab

Nota hæc oĩa Chriſtiane lector aſtris, ô regenerate, diuitias ſperas, inopiam metuis? cùm ſcriptum ſit? Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat, & ſubleuat, ſuſcitans de puluere egenũ, & de ſtercore erigens pauperem. Ædificare vis domum, ſed in vanũ certi

1.Reg.3. ſyderis fauorem præſtolaris. Niſi enim Dominus ædifica

Pſa.126 uerit domũ, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.

Prou.19 Deſtinàtum à cœlo requiris diem, ad vxorem fidelẽ ducendam, eò quòd aſtra quædam maſculina quædam fœminina iſti fabulantur. Verùm in vanũ laboras hac via tã rarum inuenire theſaurum. Teſte quippe Salomone: Domus & diuitiæ dantur à parentibus, à Domino autẽ propriè vxor prudens. Victoriam cupit princeps in hoſtes bellaturus

bellaturus, audiat ſtrenuum Machabæum dicẽtem. Non in multitudine exercitus fortitudo belli, ſed de cœlo victoria eſt. Itẽ illud, Hi in curribus, & hi in equis, nos autẽ in nomine Dei noſtri magnificabimur. Sapientiam qui gliſcit, non à Mercurio, aut Phœbo eam petat, ſed audiat hortatorem diuinũ Iacobum. Si quis, inquit, indiget ſapientia, poſtulet à deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Poſtulet autem in fidem, nihil dubitãs. Proſperos autem ſucceſſus non afferunt ſtellarum gyri, aut aſpectus, quoniam (vt inquit ſapientiæ præco) Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur. Neglectis quapropter iis deliriis, atq; falſis inſaniis, optimè conſulenti Dauidi pareat quiſque Chriſtianus. Iacta, inquit, ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet. Pareat Apoſtolorum vertici Petro. Omnem, inquit, ſolicitudinẽ veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi eſt cura de vobis. Audiat & Chriſti linguam, quæ mentiri non potuit, Quæcũque petieritis à patre, in nomine meo, dabit vobis. Quæ de cœlo expectãda ſint cõmoda, & quæ minùs, in ſumma dixiſſe ſufficiat, ſpeciatim quippe de iis ipſis, in ſequentibus tractabimus.

1. Machab. 3. *Pſa. 29.* *Iac. 1. c.* *Prou. 16* *Pſa. 54.* *1. Pet. 5.* *Ioã. 14.*

CAPVT SEPTIMVM.

Ptolomæi ratio, qua ſe maximè tuentur Aſtrologi, eliditur, ac tota illa de maleuolis planetis, infœlicibúſq; ſyderum aſpectibus, & malis ab ipſis deriuatis inclinationibus, traditio, vt erronea, in Deúmque blaſphema confutatur.

SVNT plærique,qui tametſi Aſtrologicā diuinationem reiiciendam iudicent,ea ex parte,qua fatalem neceſsitatē inducere videtur,Aſtrorū Dominio ſubiiciēdo libertatem voluntatis,eáq; prædicēdo,quæ contingētia ſunt, ſolique Deo precognita: Alia tamen ex parte ſuſtinendam,neq; omnino inutilem putāt,ea ratione adducti,quā adfert Ptolomæus huiuſce profeſsionis auctor primarius.Fatetur ipſe quidèm aſtrologum,quātumuis peritum,de actionibus,moribus,fortuníſque hominū,per aſtra nihil ita exactè,certóque,iudicio prognoſticare poſſe,vt non deficiat,fruſtretúrque plerúmque ſua prædictione.quòd afflatibus ſyderū,conſtellationibúſque,tum libertate voluntatis,tum ſapientia,rationíſque imperio repugnare,dominaríque valeat homo cordatus. Vir enim ſapiens(inquit) dominabitur aſtris. Nihilo ſeciùs tamen,quia rari,perpaucique ſunt,qui rationē ſequantur, amoréq; virtutis corporeis affectibus, pronitatibúſq; à cœlo impreſsis,non cedant.Trahit enim ſua quémque voluptas.Hinc euenire,inquit,vt frequentiùs vera,quàm falſa ſint peritorum aſtrologorum præſagia,quibus notæ ſint cœleſtium corporum vires ad paſſiones,affectúſque varios,animos hominū proclinantes. Proinde affirmat non modicam rebus humanis adferri vtilitatem

Ptolomæ, ĩ cẽtilogio & ĩ alijs locis.

vtilitatem per aſtrologos doctos, dum minas maleficorũ planetarum, maloſq; habitus ex aduerſariis ſyderibus im pendentes, mortalibus denunciant. Quẽadmodùm enim ciuitas de hoſtium aduentu præmonita, ſeſe præmunit, cauétque faciliùs inſidias, & hoſtium impetus, quàm ſi repente & ſubitò ab illis inuaderetur, & qui morbo vicinus eſt, à medico admonitus, morbũ præuenire, valetudinémque modica cura, ac diligentia conſeruare poterit. Haud aliter regna, Reſpublicæ, mortaléſque ipſi præuiſa, prænunciatáque per ſyderũ inſpectores imminentia mala, atq; diſcrimina, velut pręuiſa iacula, conſilio, induſtria, & vigilantia declinare poterunt. Hac igitur ratione, perinde, vt in penetrabili clypeo, ſuã profeſsionem defenſitant. Quæquidèm ratio adeò ſpecioſa, validáque viſa eſt nonnullis, etiam magnis, catholicíſque viris, vt (tametſi actiones, fatáque peculiaria hominũ, diſtinctè, & cũ certitudine ab aſtrologis præuideri inficientur) aſſentiunt tamẽ malos impetus, motúſque vitióſos, à noxiorũ quorũdam ſyderũ aſpectu deuolui poſſe, & ab Aſtrologis prænunciari, & ad precauendum mortalés admoneri. Sed enim argumentũ hoc, quãquàm primo aſpectu plauſibile, veriſimiléque appareat, in ſtatera tamẽ minimè populari appẽſum, inuenietur minus habens, quippe quòd minimè vero innitatur fundamento. Supponit enim malas procliuitates, quibus mortales ad vitia, improbóſque impetus, infœlicéſue auſus proſiliunt, vi aſtrorum deriuari. Cui niſi magna animæ virtute, ac ſtudio, nemo queat reluctari. Aſtruunt ſiquidèm ſub Saturno dominatore

Ratio apparẽs pro Aſtrologũ.

Quid aſtrologi adſcribant planetis.

æditum, moroſum, tenacem, & ad auaritiã futurũ procliuem. Sub Marte, gladiatorẽ, & ſanguinariũ: ſub venere, laſciuum, ſub ſole, liberalem, ſub Ioue, iuſtũ ſub Mercurio furacẽ, ſermone tamen diſertum: ſub Luna, vagum & infidelem. Et propterea non inutile, quinimò ſalubre fore dicunt, de iis quoſcúmque per Aſtroperitos admoneri, quatenus inauſpicatis ſyderũ influxibus præuiſis occurrant, aut fœlicibus cœli auſpiciis concurrant, vímq; cœleſtem ſibi fauorabilẽ iuuẽt. Verùm nos diuinorũ eloquiorum, priſcorũmq; patrũ ſanctitate, omnigenáq; doctrina fulgentium (quorum verba longa ſerie inferiùs deſcribemus) auctoritate inſtructi, pernegamus malas inclinationes, malóſue impetus, aut ſiniſtros conatus, à ſyderũ conſortio proficiſci, nihilq; niſi bonũ, & ſalutare à cœleſtium corporũ choro ad nos defluere. Sed à materia morbida ſeminũ, proximorúmue agentiũ infirmitate, mala hæc omnia innaſci, atque manere (quæ ſyderibus inepte, impiéque adſcribunt) affirmamus. Quod cũm probatũ confirmatũmq; à nobis fuerit, tota ex omni ſui parte, apud ſanæ mentis iudices, nimirũm (niſi vehementer fallimur) corruet aſtrologica diuinatio. Quod enim pro baſi ſuorũ Prognoſticorũ aſſumunt, planetarum nonnullos (quos, Nigidius vocat errones) eſſe maleficos, & infauſtos, bonarum ſtellarũ aſpectus ſuis obliquis, toruíſq; radiis inficientes, aut impedientes, tantũm abeſt à vero, vt nullũ ſit aſtrum, nullúſue ſyderalis aſpectus (quantum ad initiales naturas, ſpeciéſque ſuas ſpectat) non bene volens, & à conditore cœlorũ, in hominum gratiam, vtilitatémque productus,

Notabilis aſſertio.

Subuertitur baſis argumẽti Aſtrologorum.

productus. Quapropter, quidquid aſtrologi dictitent de malignitate, inimicóque aſtrorũ defluxu, id totum mendax traditio, abſurdáque fictio eſt, almum conditorẽ ſyderum non modico aſpergens improperio. Vnde famoſus vtriúſque teſtameti elucidator Origenes, in Homelia, quę de lunatico inſcribitur, aſſerit eos peccare in cœlum, iniquitatémque loqui in excelſo, qui ſtellas quaſdam vocant maleficas, cùm nulla ſit condita à Deo, vt malefaciat? Perquirẽs autem cauſam, cur infirums ille lunaticus diceretur, refutata quorũdam medicorum ſententia, qui nullos dæmones credunt, ſubiungit. Nos verò qui euangelio ſumus credentes, dicimus immundum ſpiritũ hanc paſsionẽ in hominibus operari: obſeruat enim quædam lunæ decrementa, & ſic operatur, vt per imminutionem luminis luminaris, pati homines mentiatur, & per hoc culpabilem Dei creaturam oſtendat, & omnes iniquitatẽ in excelſum loquantur, qui exiſtimant ex efficientia ſtellarum conſiſtere cauſas omniũ infirmitatũ, ſiue corporalium, ſiue ſpiritualium. Forſitam autẽ immundus iſte ſpiritus, ſicut obſeruat quædam lunę decrementa, vt operetur in eo, qui propter aliquas cauſas ei traditus eſt. Sic & alii dæmones, ſecundũ aliqua ſtellarũ curricula, inſidiantur iis, qui non ſe præbent dignos cuſtodia angelorum ſanctorum, vt non modò Sol & Luna, ſed etiam ſtellæ cæteræ blaſphementur ab hominibus. Hæc origines. Ex cuius verbis reſultat apertè, quàm falſa & impia ſit, hæc de maleficis ſtellis traditio. Origini ſubſcribens eximius doctor Auguſtinus, ſic ait. Qui ſtellas à Deo fatẽtur crea-

Origenis notanda ſententia.

Aduerte diligẽter pie lector.

Augu. li. 5. de ciuitate Dei ca. 1

taſ,ſi malorum noſtrorum cauſas eſſe putant,magnam cœlo faciunt iniuriam:in cuius velut clariſsimo ſenatu, ac ſplendidiſsima curia opinãtur ſcelera facienda decerni. Qualia ſi aliqua terrena ciuitas decreuiſſet, genere humano decernente,fuerat ſubuertenda.Hæc Auguſtinus. Quis autem non videt,ex hac traditione corda hominũ impelli in verba malitiæ,ad declinandas excuſationes in peccatis,daríque anſam delinquentibus,vt in Deum ſua referant errata,aut de ipſo conquerantur. Si enim nobis naſcentibus prauæ ab aſtris ingeruntur procliuitates, nihilque aſtris ineſt,ab authore ſuo non illis ingenitũ,conſequẽs erit,dicamus à Deo ſibi illam collatam poteſtatẽ, hócq; pacto initia,primáque malorũ noſtrorum germina,in opificem ſtellarũ veniunt retorquẽda. Quod enim à miniſtris geritur, Domino ſuo mandante aut conſentiente,agi arbitramur.Quis igitur à mortalibus ęgris hãc cohibebit querelam ? Cur tam malos præſides nobis præfecit ſummus gubernator? Cur nobis imputat vitia, ad quę cœleſtiũ corporum viribus nos vrget? Quid cõmeruimus,quid in aſtra deliquimus,vt naſcentes ab ipſis ad mala,aut ſiniſtros caſus impellamur? Hac enim de cauſa iuſtè ſibi de cœlo queri videbatur illa Hermione Ouidiana inquiens.

Nulli ſunt planetæ maleuoli, aut maleſici.

Ouid. in Epiſto.

Quæ mea cœleſtes iniuria fecit iniquos?
Quódque mihi miſeræ ſydus obeſſe querar?

¶Formidandi profectò forent ſtellarum aſpectus,auerſandáque ſigna cœleſtia,ſi naſcentes malis inclinationibus,perinde ac veuenatis telis,ab ipſis feriremur, quibus non

non abſq; graui difficultate adhiberi queat medicamen. Quo ſanè timore,ceu vano & à gentilitate conficto, nos prorſus liberat diuinum oraculum,ore Hieremiæ prolatum,ita canens,Iuxta vias gentium nolite diſcere,& à ſignis cœli nolite metuere,quæ timent gentes, quoniam *Ier.* 10.
leges populorum vanæ ſunt.Cùm itáque nulla habeamꝰ inimica ſydera,totúſq; nobis faueat Olympus,quicquid mali ab Aſtris nobis impendere Aſtrologi minãtur, pro laruatis vultibus, puerilibúſque terriculamẽtis habendũ, contemnendúmque eſt à veræ pietatis cultoribus.

CAPVT OCTAVVM

Altero argumento Ptolomæi ratio inualidatur,& quæ ſit malarum noſtrarum inclinationum, pronitatúmq; prima radix & origo,ex ſacris oraculis demonſtratur.

VT cœli ſtellarúmq; innoxiã naturã,nihilq; virtuti, fœlicitatiue hominũ aduerſum ab ipſis manare apertiùs cõſtet, denudanda ampliùs eſt aſtrologorum vanitas, ridiculáque ipſorum de Aſtris aſſertio. Quid enim magis vanum, aut Poëticũ, quàm diſsidia inter Aſtra, & in cœlo bellum ponere?

Aſtra quippe quædam beneuola, quædam maleuola, alia fauſta, alia infauſta deſcribunt. Planetas quoſdam inter ſe concordes, & inuicèm iuuantes, quoſdam obliquis, torúiſque aſpectibus mutuò ſeſe impedientes, aliquos frigentes, alios ardentes, ſigna quædam aquea, quædã ignea fabulantes, beſtialibus terribilibúſque figuris cœlum replentes. Quæ ſi vera ſunt, tantáque eſt in cœli regno, &
Iob. 25. inter ſydera diſcordia, vbi erit illa Pythagorica ſyderalis
& . 38. harmonia, vbi ille cœlorum concentus, eáque concordia, quam facit Deus in ſublimibus ſuis? De quibus arcanum diuini Iob volumen meminit. Et quidem ſub orbe
Empedoclis dictum. Lunæ rectè ſenſit Empedocles omnia conſtare ex lite, & amicitia. Quandoquidèm abſque continua contrariorũ inter ſe, nunc pugna, nunc fœdere, generationes, corruptiones, nouæque rerum formæ iniri, conflariue nequirent, nec tam varius hic naturæ ludus, miráque Metamorphoſis perſeuerare poſſet. Verùm ſupra lunaris circuli regionem (vniuerſo rectè philoſophantium conſortio approbante) nullam mutationem, nullámue inueniri materiam, priuationi admixtam, ſed omnia cœleſtia corpora, natiuo ſuo ſplendore ſatiata, nihil peregrinum, aut aduentitium, nihil repugnans, mutuóque diſsidens admittere, quin potiùs ſumma cõcordia conſonare aſſeramus. Tantum enim abeſt, vt inuicèm certent, repugnent, aut alterutrum lædant, impediant, viréſue ſuas imminuant, vt è contrario conueniant, conſpiréntque ſimul ad decorem, tenorémque inferioris mundi fulciendũ, perpetuóq; conſeruandum, in primis verò in vſum miniſteriúmque

hominis,

hominis,ad effigiem diuinitatis formati, vti retulit Moſes.Qui & teſtatur vidiſſe Deum cuncta, quæ fecerat,& eſſe valde bona.At valde bona non fuiſſent ſydera, nec in vtile miniſterium hominis viderentur condita,ſi ad vitia,laſciuias,cupiditates,furta,bellicóſque furores,homines à ſuo primo ortu impellerent. Vt itáque Cœlum,ac ſydera à calumnia liberemus,& ne declinemus in Deum mala,auertamur,neceſſe eſt ab hoc Aſtrologorum erroneo, impióq; fundamẽto,vt videlicèt mala,malorúmue origines, (quas inclinationes vocant)nec à ſtellis,nec ab ſtellarũ auctore, in nos defluere credamus. Attamẽ perſtrepentes audire mihi videor nonnullos. Nunquid, inquiunt, affirmat ſcriptura, omnem ætatem,& omnes ſenſus hominis,propenſos ad malum ab adoleſcentia ſua, & non modò enixos,verum etiam conceptos omnes nos in iniquitatibus,declinaſséque ſimul,& erraſſe ab vteró? Quis enim non ſentit ſe quodam pondere,velut Tantali ſaxo impendente,proclinari ad proſequẽdas ſenſualis appetitus illecebras? Si vas illud electum, euangeliique per totum mundum vexiliger Paulus, querebatur ſe videre aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis ſuę, captiuantémque ipſum in lege peccati, quis aſſerere poterit immunem ſe eſſe à prauis motibus, procliuitatibúſque ab vtero deportatis? At ſi nec à geniture noſtræ conſtellationibus,cœliue dominio,nec ab auctore naturæ prodit hæc corruptela, deprauatáque propenſio,vnde originem,primámue cauſam petemus huiuſce labis? Sanè difficilis huiuſmodi ſolutio, non ex mundanæ ſa-

Deut.4

Gene.2.

Quæſtio notanda.

Gene.6

Pſal.50

Pſal.13.

Rom.7.

pientiæ ſtudio,nec ex philoſophorum chartis, aut cõten tionibus,ſed ex ſolo diuinitus inſpiratæ ſcripturæ ſacrario requirenda eſt.Nec enim natura noſtra deprauatum, corruptúmue ſortita fuit exordium,ſed in primis procreatoribus integra,fœlix,& pacata, amplôque rationis ſuper corporeã molẽ imperio,condita extitit, libera quòq; non modó omni vitio,verumetiam à malis affectibus,titillationibúſq; immunis. Verùm primi illi progenitores, cùm in honore eſſent,non intellexerunt. Inſana quippe

Gene.3. futurorum ſciendorum cupiditate à ſerpente illecti, in arboris vetiti noxiale pomum edendum proruperũt, hácque præuaricatione à priori illa integritate, ac dignitate exciderunt,illáque ſupra inferiorem partem,animi auctoritas ita debilitata,extenuatáque euaſit,vt rebelles corporis ſenſus vix in officio iam continere valeat.Perdito nẽpe diuinæ gratiæ decore, euanuit originalis iuſtitiæ priuilegiũ,cui tota illius primi ſtatus fœlicitas innitebatur. Subindè verò perturbata, maliſque innumeris, tum animę,tũ corporis,expoſita iacuit natura.Contigit proindè primo parẽti,vt olim Gyeſi,Heliſęi prophetę diſcipulo,qui ſacrilega cupiditate ſuperatus,pretium diuino muneri impoſuit:quo proinde honore,ſoſpitatéque corporis exutus,Lepræ macula ſeſe,omnéque ſemen ſuũ vſque in ſempiternum dedecorauit. Eapropter ab Eccleſiaſte dictum eſt.Scio,quia fecerit Dominus hominem rectũ, ipſe autem infinitis ſe miſcuit querelis.Et in Encomio Sapientiæ,legimus, Deus creauit hominem inexterminabilem,& ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum,inuidia

Iuſtitiæ originalis virtus.

4.re.4.

Eccle.7.

Sapi.2.

dia autem Diaboli mors intrauit in orbem terrarum:imitantur autem illũ,qui ſunt ex parte illius. Nec tantæ infœlicitatis exordium tacuit diuus Apoſtolus, dicens: Sicut per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mũdum,& per peccatum mors:& ita in oẽs homines mors pertranſiit,in quo omnes peccauerunt.Quibus autem remediis,ac auxiliis,iis malis ſuccurrerit CHRISTVS, naturámque lapſam magnificè reparauerit, ſpiritum inſuper filialem promeruerit(quò in ipſo regenerati,craſsis ſenſibus,& corporeis affectibus dominentur)in ſermonib⁹,quos de neceſsitate incarnationis,& paſsionis Chriſti edidimus,latè complexi ſumus. Quapropter ne turgeat opus,& aliâs per nos deprompta iteremus,ſatis fuerit in preſentia detexiſſe corruptelam, deprauationémq; naturæ,vitioſóſque impetus hominum,nequaquàm ex poſitione ſyderum, aut conſtellationibus geniturarum, nec à cœlorum conditore profluere, ſed à Protoparentũ prȩuaricatione triſte principium deſumpſiſſe,& in totam ſobolem(vt experimur)demigraſſe. Vndenam autem tanta in mortalibus morum,ſtudiorum,affectionum diuerſitas,tamque variæ corporum facies,atque habitus ſcaturiant,ſequenti tractatione aperietur. Rom. 5.

CAPVT NONVM

Examinatur Ariſtotelis dictum peruulgatum,de gubernatione mundi inferioris per ſuperiores lationes,indicatúrque generationes rerum & ipſarum proprietates, néque à cælo,néque à planetarum aſpectibus,ſed aliunde ortum ſuum trahere.

Mete. 1

ARISTOTELIS in naturæ contemplatione acutiſsimi dictũ quoddam celebratur, à Scholaſticis Theologis fauorabiliter acceptum. Totus, inquit, iſte mundus ſenſibilis, contiguus eſt ſuperioribus lationibus cœli, vt tota virtus eius inde gubernetur. Quam aſſertionem Aſtrologi perperã capientes, ad ſe trahũt, criſtáſque erigũt. Nec deſunt multi, qui ex iis verbis arbitrantur Ariſtotelem ſenſiſſe, quæcũnq; fiant in inferiori orbe, vt pote generationes, & rerum manifeſtas, occultáſue proprietates, animãtium ingenia, corporum craſes, diuerſarum regionum idiomata, ritus, varióſque mores hominum, in cœlorum, corporúmque cœleſtium lationes, & diſcurſus referendo.

A quo ſanè ſenſu longè abfuit Ariſtoteles ipſe. Qui tametſi primarium corporum motum, ac commune regimen, cœlorum orbibus detulerit, cœleſtibus tamen ſignis, ſtelliſue erraticis nuſquàm effectum aliquem priuatum, aut ſingularem contribuit, nec de aſtrorum paruis aut magnis coniunctionibus (in quibus Aſtrologi fermè totum ſuum artificium ſtatuut) in tot libris à ſe æditis vllo modo meminit. Quas quidèm coniunctiones (cùm eſſet ipſe veritatum naturæ acutiſsimus perſcrutator) minimè preteriiſſet, ſi veritatis aliquod ſeminarium in illis

inſertũ

inſertum comperiſſet. Si prætereà ſenſus verborum & quid per orbem hunc inferiorem intellexerit, excutiatur, perſpicuum fiet paulò antè mũdum hunc inferiorem ab ipſo vocari orbem iſtum ſenſibilem, qui ſit ex quatuor elementis conſtitutus. Vnde apertum erit voluiſſe illum ſolummodò molem hanc quatuor elementorum, nempe vt contiguam, mixta quóque imperfecta, quæ ex his quatuor elementis gignuntur, à lationibus ſuperioribus agi, atque verſari. Ad hæc, cur non ponderant verba illa, vt tota virtus eorum inde gubernetur? Nec enim dicit, vt tota virtus eorum inde oriatur, educatur, defluat, procreetur, ſed gubernetur. At quantùm interſit aliquid ab alio generari, & gubernari quis ignorat? Quapropter etſi virtutes actionéſque elementorum à cœlo contineri, conſeruari, adunari, regíque ſenſerit, eas tamen à cœlo gigni, oririue, aut propagari nequaquàm arbitratus eſt. Nutrices pueros alunt, curant, regunt, quos minimè genuerunt, ligna nutriunt, conſeruántque ignem, qui non à lignis, ſed ab alio igne oritur. Agricolæ plantant, rigant, gubernántque agros, ipſi tamen ſemina non pariunt, néque ipſis dant incrementum. Colligimus eapropter de mente huius Philoſophi, nec animalium generationes, nec ipſorũ varias figuras, qualitates, affectiones, à cœlo, ſole, aut ſtellis procreari, ſed dumtaxat gubernari, hoc eſt iuuari, roborari, & in ſuis ſpecificis naturis & ſubſtantiis conſeruari, continuárique. Cæterùm ſeminales rationes, viréſque generãdi, viror terræ, plantæ, fruges, arborúmque fructus, priùs à principe naturæ oriri, emicaréque iuſſa fuere

Aduerte, quid ſit mundus inferior ſecũdũ Ariſtotelem

Nota quomodo cœli gubernãt inferiora.

fuere, quàm magnis luminaribus, totáque ſyderum chorea cœlum exornaretur. Qui enim dixit, quarta die fiant luminaria in firmamēto cœli, ille idem priùs & tertia die dixerat. Producat terra herbam virentem, & ferentem ſemen, lignúmque pomiferum iuxta genus ſuum, cuius ſemen ſit in ſemetipſo. Hac enim de cauſa ſacri putant interpretes, naturæ parētem ante ſolem, Lunam, curſúſque planetarū, ſemina, plantas, & arbores è terra voluiſſe educere, ne virtute, influxúue cœleſtium corporum fieri putaretur rerum generatio, víſque germinādi terræ collata, ipsáque corpora cœleſtia hac opinione à mortalibus pro Diis colerentur. Et hac eadem de cauſa volatilia, & natatilia ex aquis, quadrupedia, atque reptilia ex terra, nullo ſolis, aut ſyderū facto ſermone, ſed ſolo ſuo præpotenti verbo in lucē prodire iuſsit, vt hinc diſceremus, ſolo Deo iubente, iacta fuiſſe generationū primordia, & hinc emanaſſe tantam rerum varietatem, diuerſitatem, copiámq; primariam, & quæcūnque munificentiſsima parens terra pertulit. A cœlo autem, ſuperioribúſque orbibus, ordinē illum, atque vigorem, (quem ab exordio naturæ artifex impoſuit) adiuuari, conſeruari, perſeuerantique duratione conſiſtere, non autem prodire aut effici. Ex hac nimirùm philoſophica, piáque doctrina conſtare poteſt, rerū proprietates varias, & admirandas virtutes, ſtirpium, herbarúmque ſalubres ſuccos, florum gratioſos, arridentéſq; colores, fructuum tot guſtus & ſapores, ſuaues aromatū odores, gelidorum fluminum, ac fontium perennem iucunditatem, lauacra, & medicamina, animantiū diuerſa, ſubtiliáque

Gene.1. *Nota.* *Nota cororal-lium.*

ſubtiliáque ingenia, effectúſque hos (quorũ cauſas occultas medici fate tur) à cœlo, aut ſtellarum penetrabilibus radiis minimè conſurgere. Nam cùm hæc ipſa virtutum, proprietatúmque ornamenta, ſpecificas formas, ſubſtantiaſque ſequantur, à ſolo auctore naturæ, formarum illarum datore, in prima ſui inſtitutione prodierũt. Vt enim de animantium ingeniis pauliſpèr loquamur, cum aſtra ſpiritu, ſensúque careāt, quomodò gallo poſſunt dare intelligentiam? Onagro tantum libertatis amorem, vt potiùs mori, quàm ſeruire malit? Vnde, quęſo, Leonini cordis altitudo, Equi animoſitas, Canis fidelitas, Elephantis docilitas, Cameli memoria, Aſini ſeruilitas, Lupi vigilantia, Vulpis aſtutia, Ouis innocentia, Serpentis prudentia, Formicæ ſolertia, Araneæ ſubtilitas, Auicularum tot argutæ voces, nidulorum ſtructuræ, innumeræq; aliæ induſtriæ, quæ per infinita animantiũ genera partiatim diſperſæ, in vnica humana ſpecie ſimul adunatę cóperiuntur. Cœlũ certè, luminaria, & ſtellę vt nutrices, omnia hęc diſponunt, alunt, promouent, & curant. Verùm mater, quæ vniuerſa hæc peperit, æterna eſt, & prima mens, à qua omnis in cœlo, & in terra paternitas & generatio (teſte Apoſtolo) nominatur. Nam cùm nec cœlum, nec ſydera, rerum genera, aut ſpecies gignant (hæc enim antequàm luminaria conderentur, in lucē prodierant) bona ratióne deducitur, animantium, cęterarũmque rerum, tum vegetabilium, tum ſenſibilium proprietates, ſingulaRéſque vires, non ab aſtris, ſed à ſeminalibus rationibus (quæ corpora cœleſtia prçceſſerant) ortum ſuũ trahere.

Nota.
Epheſ. 3

CAPVT DECIMVM.

Tractatur difficilis quæſtio, de cauſa diuerſitatis voluntatum, affectuum & ſtudiorum humanorum. Quam quæſtionem magis more Academico diſputari, quàm plenè poſſe reſolui auctor exiſtimat.

Iam verò ſpinoſa illa quęſtio, & famoſa controuerſia, quam per conſtellationes, poſitionéſque Aſtrorum, fruſtra diſſoluere conantur Aſtrologi, examinandam ſeſe offert. Cùm oẽs homines in vna ſpecifica natura, & appetitu ſũmi boni, ratiocinandi viuacitate conueniant, vnde tanta animorum in affectibus, moribus, inſtitutis, diuerſitas, ac repugnantia? Nam ſi de corporum formis, vultibus, habitibus, craſsibus (quas cõplexiones vocant) inquirimus, quis tam magnam diuerſitatũ turbam dinumerare valeat? Aſtrologi (vt diximus) omnẽ hanc varietatem ac diſſonantiam, in nimiùm elõgatas cauſas (nempe ad cœli vertiginẽ, & Horoſcopos, quos ſingulæ hominum natiuitates ſibi proprios vendicant) referunt. Vnde non iniuria à doctis Phyſicis ridentur: quòd cùm hebetes, quinimò cæci ſint in cauſis proximis, oculatos ſe iactent in remotiſsimis. Nam quòd in aliqui-

aliquibus abundet atra bilis,in aliis ſanguis,pituita, flaua & incenſa cholera,cur aſtris tribuunt,quæ prorſus iis affectionibus,actu, virtutéque carent? Quomodò dabunt ſydera,quod non habent?Præter enim motum,lucem,calorē(vt latiùs paulò poſt deducemus)nihil habent,quod nobis largiantur.A ſeminibus igitur,diuerſaque generantium virtute,ac materiæ diſpoſitione varia, tum mixtione quatuor primarum qualitatum elementorum(vt pote caliditate, frigiditate, humore, ſiccitate, cooperante ſole,veluti precipuo naturæ non auctore, ſed miniſtro) procedit hæc corporalium affectionum, inflexionum, dexteritatúmque multiplicitas atque varietas. Quemadmodum ex materię fluxu,aut defluxu,excreſcentia, imminutionéue,tum procreatiuæ virtutis debilitate,monſtra conſurgere videmus. Chriſtianum porro lectorem admonitum velim,non licere iis, qui Euangelio parent, ex corporis habitu, lineamentis, exteriorìue vultu, aut Phyſionomiæ coniecturis, de intrinſeco hominis ſtatu, occultiſue animorum affectibus ferre iudicium. Id enim vetuit Chriſtus,dicēs.Nolite iudicare ſecundum faciem, ſed iuſtum iudicium iudicate. Iuſtum iudicium vocans, quod ex operibus apertis progreditur,& alibi. Homines vident ea,que parent, Deus autem intuetur cor. Fallax quippe iudicium hoc deprehenditur,quandoquidèm gratia,interiórque iuſtitia,non pro elegantia vultus,corporiſue ſymmetria à Deo codonantur.Contingit nēpe pluries ſpecioſos corpore, animo inueniri deprauatiſsimo. Vti Abſalon filius Dauid,Domitianúſq; Imperator, qui

Origo craſiũ, ceu complexionum nō ab aſtris

Nota de phyſionomiæ iudicio.

Io.7.

1.Re.16

vt corpore erant quàm ſpecioſi, ita erant animo ſcelera-tiſsimo. E contrario verò corporis aſpectu deformes, leguntur ingenio fuiſſe perilluſtri. Æſopus enim Phrygius (quem tota Græcia, totáque Aſia mirabatur) adeò facie, totóque corpore deformis apparebat, vt pueri eo conſpecto, perinde ac monſtro, terrerentur, ac diffugerent. Galba Orator Roman⁹ puſillus licèt, ac ſtrumoſus foret, ingenio tamen ita viuaci, tantáque oris facundia pollebat, vt parem illi tunc Roma non haberet. Vnde ſcitè dixit quiſpiam Galbæ animam malè habitare. Epicteti porro Stoici tanta fuit veneratio, vt fictilis eius lucerna venierit tribus drachmarum milibus, cuius in tumulo carmen hoc legitur inſcriptum.

Aduerte.

Epicte. Epitaphium.

Seruus Epictetus fueram, qui corpore manceps,
Pauperie preſſus charus eram ſuperis.

Celius.

Et (vt quidam vir doctus ait) eſt vbi ſub virginea, & miti facie, barbara, atrox, & ferina prorſum lateat immanitas: ſub aſpernabili verò, & cruenta, minante vultu, latet quandóque amabilis, & exoſculanda clementia. Quibus verò venuſta frons, & ridibunda, æſtuant ſæpe mœroribus, ac ſibi ipſis putent. Iam quoſdam inuenias ita lugubres aſpectu, & fronte obducta, inſtar victi Marſyæ, vt Saturni mancipia planè videantur. At cùm attentaris, bone Deus, quàm ſereno ſunt animo, quàm facetoſo, quanta comitate, riſu omnia reſoluunt! Sed (vt ad priora reuertar veſtigia) vt corporum diuerſas conſtitutiones, habitus, & figuras, relictis proximis cauſis, ineptum eſt remotiſsmis, & omnino diſsimilibus adſcribere, haud aliter

ſentien-

ſentiendum eſt de varietate animorum, voluntatum, modis inſuper ac formulis viuendi, multiplicibúſque accidẽtibus, quæ in rebus humanis aſsiduè procurrunt. Nam quòd linguarum, idiomatúmque tantam in orbe pluralitatẽ, in Mercurium, ſtellarúmue quoſdam defluxus cõuertunt, craſſam id nimis ſapit inſcitiam. Quis enim ſacrarum hiſtoriarum, vel à limine ſalutator, ignorat (ſacro referente Moſe) terram olim fuiſſe labii vnius, & ſermonum eorũdem, omnéſque mortales lingua illa vnica diu fuiſſe vſos, quam à Deo edocti fuerant parentes primi: adeò ſanè fœlici, vt nulla eſſet in ea vox, quæ rei, quã denotabat, naturam, proprietatem úe non deſignaret. Fuiſſe autem tunc deperditam, cùm veſani mortales turrim (cuius cacumen cœlum tangeret, tanquam aſylum contra Deum irritatum) ædificare molirentur. Tunc nempè ab eo, qui habitat in cœlis, irriſi, ſubitò fœlicis illius linguæ memoriam amiſerunt, coactęque fuere ſeptuaginta duæ illæ nationes (quæ eò conuenerãt) inter ſe diuortium facere, comminiſcique ſibiipſis nouos, egenóſque ſermones, ſolis ſuis familiis perceptibiles. Vnde nequaquàm à ſyderum diuerſis radiis, aut varia cœli conuerſione, ſed iuſta Dei vindicta, illius prioris, diuitiſque linguæ periit cõmercium, ſucceſsitque illi hæc linguarũ multarũ cõfuſio, ac diſſonantia: ab hoc enim euentu, turris illa Babelis (quod confuſio interpretatur) nomen accepit. Sanioris autem iudicii hominibus, quomodò perſuadebit Aſtrologus, voluntatum tantam varietatem (quam diſertus Satyricus hoc carmine complexus eſt.

Gen. 11.

Nota de prima lingua.

Turris Babel unde.

Vnde volũtatũ tanta diuerſitas.

 Mille

Perſi. Saty. 5. *MILLE hominum ſpecies, & rerum diſcolor uſus:
Velle ſuum cuique eſt, nec uoto uiuitur uno)*
à diuerſis ſtellarum poſitionibus, horoſcorporúmue multiplicitate prodire? Cur, quæſo, tantæ varietatis cordium, mutationúmque in rebus humanis cauſas petimus à cœlo, cùm in terris paſsim ſeſe oſtentent? Cur extra petimus, quod intus habemus? Certi quippe ſumus, nos nó à cœlo, facultate, libertatéque voluntatis potiri, cum ſit ipſa de intrinſeca hominis ratione. Moueri autem nos, & in diuerſa rapi, apprehenſione, exiſtimationéque côueniẽtium, aut contrariorum ſenſibilium obiectorum, in dies experimur. Tritum eſt enim illud Philoſophicum dictũ. Obiectũ mouet potentiam, potentia verò excitata prodit in actum. Ab hac igitur apprehenſione varia ſenſibilium, ceu primario fonte, ebullit illa appetentiarum, affectuúmque in animis mortalium diuerſitas, fluctus, agitatio, ac repugnantia. Cuius rei veritatem in ſemetipſo cóperiens Sophar Naamathites dicebat. Idcirco cogitationes meæ variæ ſuccedunt mihi, & mens mea in diuerſa rapitur. Cæterùm temperaturas, atque dominia quatuor humorum, atræ, flauęque bilis, ſanguinis, ac pituitæ (ex quorum inæquali participio efficitur, vt quæ quibuſdã ſunt grata, aut delectabilia, aliis ſint ingrata & exoſa) ſtellæ craſsis iis defluxibus prorſus vacuæ, efficere nequeũt: ſed à proximioribus cauſis, vt pote generantibus ſeminibus, embryone, & materiæ aptitudine varia (ſole intimo naturæ cooperatore, viſcera pregnantiũ cauſarũ fœcundante) hæc, & ſimilia (vt prius dicebamus) òriuntur

Iob. 20.

tur accidentia Situm porro continentiámque locorum, atque ſpiracula ventorum (quibus aër vario modo immutatur,& quo cōtinuè reſpiramus) plurimum diſcriminis genituris adferre, hinc euincitur, quòd pro diuerſis regionum tractibus alibi audaces, ac bellatores, alibi imbelles, timidique naſcuntur:& in quibus Boreales vēti perflant, plures mares, quàm fœminæ. In quibus verò ſudificus ſibilat Auſter, ediuerſò plures fœminæ, quàm mares procreantur. Quod India mittat hebur, molles ſua thura Sabęi, dent Chalybes nudi ferrū, Epirus generoſas æquas pariat: ſingulæ quòque ferme terræ partes quædam ſibi pecularia, fixa,& perpetua futura proferāt, cœlo, ſyderibúſue (quæ nuſquàm aſpectus habēt firmos, nuſquámq; ſiſtunt, ſed velociſsima rotatione decurrunt) adſcribi, ratio ſenſúſq; refugit. Proinde ad conſilia, ſtudia, inſtituta, artes, moréſq; diuerſos effingendos, amplectendóſq;, præter regionis inflexionē & ſtatū, perſpicuū eſt valere plurimū educationē, conuictū parentū, exercitia, pędagogia, cibaria, æmulationē, aſſuetudinē, quam ſecundā & effabricatā naturā vocat Auguſtinus. Adhæc aſſentatores, opulētia, prędcoces honores, quot bene natos peruertunt? Diſsidia autem principum, bellicóſque furores, ſi à flagranti Martis aſtro (vt Aſtrologi garriunt) accenſa ſuſcitat cholera, orandum nobis foret (vt quiſpiám facetè dicit) vt omnes principes pituita laborarent, aut craſſo in aëre naſcerentur. Iam verò reſpondeant iſti, vnde diſsidium illud ſuſcitatum eſt, magnúmque & grande prelіū inter angelos in cœlo: cuius ſacra Ioánis Apocalypſis meminit

Nota de viſitus & ventorum.

Apo.12.

meminit,& vnde primi Angeli,compliciúmque ſuorum tanta eſt conſequuta ruina. An ſub Martis aſpectu,domióque editi fuere illi cœleſtes ſpiritus, qui Martem & omnia ſydera præceſſerunt? An accenſa cholera agitaban-
Luc.24 tur,qui incorporei ſunt,& ab omni prórſus materia ſeparati? Spiritus enim carnem & oſſa non habet. An gemini illi Eſau & Iacob martiales fuere, eodem concubi-
Gen.25. tu concepti,eadem hora enixi,in eadem domo educati, formis tamen corporis,& ſtudiis euaſere diuerſi, & inuicem tota vita aduerſi. Ea ipſa idcircò attuli,vt hæc naturę arcana impenetrabilia,occultáſque tantarum varietatum origines nobis imperuias exiſtimemus. Paſsim enim nouæ ſuboriuntur ſpecies,obiectáque variis motibus,tẽtamentíſque animi noſtri libertatem pulſantia & prouo-
Prouer. penulti. cantia,quæ neſcimus,vnde veniant,aut quò vadant: via præterea viri in adoleſcentia ſua ita lubrica, verticoſáque eſt,& obſcura,vt Salomõ ad miraculũ vſque ſcientiæ co-
Hier.17 pia repletus,ſibi eam penitus incognitã faſſus fuerit. Eapropter ſatius multo fuerit ſoli illi, qui dixit, Prauum eſt cor hominis,& inſcrutabile,& quis cognoſcet illud? Ego
Iob.13. dominus,ſcrutans cor,& probans renes: & qui veſtigia pedum noſtrorum conſiderat,capillóſque omnes capitis noſtri dinumerat, quæſtionis huius veritatem cogni-
Matth. 10. tam fateamur. Minimè autẽ in Chriſto initiatos latere decet,pios in fidéque ſtabiles à bonis Geniis,noſtræ ſalutis miniſtris,plerúmque ad diuina heroicáque opera,occul-
Nota. to inſtinctu excitari. E diuerſo ingratos, deíque contemptores,à deſertoribus reprobíſque angelis, ad prauas cupidi-

piditates,ſceleráque inflammari, vt carmine Dauidico docemur, Miſit iram,& indignationem, immiſsionẽ per angelos malos:Nõ enim apoſtata,proditórque Iudas,in Chriſtum tantum facinus patraſſet, ſi à nequam ſpiritu non fuiſſet concitatus. Teſte námque dilecto Chriſti diſcipulo Ioanne, diabolus miſit in cor,vt traderet eum Iudas,neque Cain(vt ipſe idem innuit) in fratricidiũ prorupiſſet,niſi fuiſſet impulſ9 à maligno.Plato certè, à quo neſcio,auctore inſtitutus affirmat,viros, qui peccauere i Deos,& ſua non expiauere flagitia,à malo quodam excitatore,ad grauiora facinora impelli. Quin ſancti etiam viri,cùm ſe feriatos tutóſque ab inuiſibili hoſte exiſtimãt, à malorum incentore ad illicita cõmouentur. Cuius rei veritatem Dauid in ſeipſo probauit:qui tametſi eſſet pietate inſignis,& vir electus ſecundum cor domini,fuit tamen ad tumidam populi ſui numerationẽ,à Sathana inductus.Sed quomodò quemquàm,quantacũmque ſanctitate decoratum,aggredi verebitur illud maliti̧ caput, cùm Chriſtum,quem non ignorabat in culmine virtutũ conſtitutum,poſt tam ſublimem,prolixámque contemplationem,dierúmque quadraginta inediam, non formidauit tribus venenatis telis in deſerto inuadere?Iure quàmobrèm iubebat Chriſtus ipſe,ſine intermiſsione orare: quòd ille gloriæ Dei, fœlicitatiſque noſtræ aduerſarius, ſine intermiſsione pariter laboret, non modò infirmos, verumetiã probatos,& qui ſtare videntur,de gradu deiicere Orandum quapropter iugiter eſt nobis,vt à ſagitta volante in die,à negotio perambulãte in tenebris, ab in-

Pſal.77. *Ioan.13* *Ioan.3.* *Plato libro. 9. de legib.* *Attẽde.* *2. Regũ vltimo.* *Mat.4* *Luc.18.* *2. theſ.2* *Pſal.90*

curſu,& dæmonio meridiano,ſcuto bonę voluntatis ſuæ nos protegat auctor humanę ſalutis. Hęc autē addere volui,ne ignoremus animorum noſtrorum affectus, & ſtudia,nonnunqàm à bonis,nõnunquàm à malis ſpiritibus excitari,ſuáque hinc trahere principia. Et hęc de perplexa illa quæſtione dixerim, quam examinari Academico more magìs,quàm humano ingenio abſolui poſſe crediderim.

CAPVT VNDECIMVM.

De duplici,grauíque errore Aſtrocultorum. Quorum alter eſt, quòd cœlo,& Aſtris non tribuunt,quæ ſunt eis propria, ſed aliena. Alter,quòd etiã ea, que à cœlo,& Aſtris efficiuntur, Aſtrologi ſcire nequeant. Duplex inſuper cœli dignitas,beneficiúmque deſcribitur.

IOANNES Picus Mirandulanus, rarum naturæ miraculum, magiſq; Phœnix ſui ſeculi, quàm *Picus Mirã.* Picus nũcupandus, Aſtrologorum dogmata, myſteriáque diligenter cribrans in præclaro volumine, quod contra eos ſcripſit,duplici,eóque graui errore laborare illos deprehendit. Quorum alter eſt, quòd cœlo & Aſtris multa ſubiiciunt,quæ ab ipſis, neq; efficiun

efficiuntur,neque pẽdent. Qui enim de cœlo rationabiliter honorificéque ſenſerunt,duas illi tribuunt prærogatiuas,quibus mundum hunc ſenſibilem temperat, atque gubernat.Eæ ſunt motus,& calor.Omnium quippe motuum primus,ſupremúſque eſt motus cœli, quo inferiorum corporum motiones omnes exurgunt. Quemadmodùm enim in animali vnoquóque,motus cordis,primus eſt omnium motuum,actionúmque,vt illo ceſſante,fathiſcere,periréque omnem motum in animantis corpore neceſſe ſit:haud aliter huius mundialis machinæ omnes motus,agitationes, tranſmutationes oportet ab illo primo,infatigabiliq; cœli motu excitari.Altera illius prærogatiua(quæ de luce illi aduenit) eſt cœleſtis calor. Eſt enim calor hic,prima cœli qualitas,luciſque primogenita proles,inabdicabiliter cœlum ſequens,mundum continens,pérque omnium corporum meatus ſeſe diffundens,omnia vegetans,& ad ſimilia procreanda diſponẽs. Quemadmodũ enim(vt prędiximus)ſecluſo primo cœli motu,oẽs reliqui motus torperent,reſiderẽtque:haud aliter abſque huiuſce caloris,à cœleſti luce deriuati beneficio,elementorum qualitates nihil agere poſſent.Vt nec frigus frigiditatem,nec calor caliditatem valeret emittere, quoniam vt omnes motus à primo,ita & à prima cœli qualitate,cæterę pẽdent qualitates.Sunt itáque hęc duo, cœli munera,beneficiáque cõmunia, ſine quibus in hoc mundo nihil fieri poteſt:videlicèt motus,& calor. Id tamen ſolerter animaduertendum eſt,determinatam indiuiduorum,ſingulariúmque efficientiã, cœlo nõ eſſe tri-

Duæ cœli prærogatiuæ.

Nota de motu cœli.

Quæ ſit prima cœli qualitas.

Nota vires et neceſſitatem caloris cœleſtis.

 buendam

buenda,niſi perinde,vt communi,altiorique cauſæ, quæ nihil diffinitum,particularéue parturit,niſi á ſpeciali agẽte trahatur ad particularem effectum. Ea de re rectè colligitur,quòd hæc,aut iſta fiant,id á cœlo non eſſe, ſed ab inferioribus,partialibúſque principiis,generalẽ cœli virtutem ad ſingularia trahentibus. Deducitur pariter in cœleſtibus corporibus nullam vim ineſſe,qua inferiora corpora immutare,aut vertere valeant. Prçter enim motum, lucem,& calorem cõmunem,nihil eſt,quod huic inferiori moli condonent. Quiquidèm calor in duobus illis magnis luminaribus, Sole videlicèt & Luna,ob lucis exuberantiam,viget magis. Præſertim verò in Sole, á quo augmentum ſui luminis,omnia ſydera mutuantur. Quocircà cœli moderator,lucis,& caloris auriga,fónſque geniturarum cognominatur: cuius acceſſu,receſſu, propinquitate,diſtantia,aër variis modis,calore,æſtu,algore,tẽperie,per anni decurſum alternatur. Pro diuerſis autem affectionibus aëris compertum habemus,viuentia omnia vario modo affici, elementa, totámque inferiorum corporum congeriem immutari: ſtellas verò, tanquàm exercitum,cũ duce ſuo ſole militare,in húncque mundũ velut in centrum ſuos demittere radios,vt ad fœtus procreãdos ſeminibus opitulẽtur,procreatos alant, altos creſcentis ſuis roborent,roboratos ad ſuas functiones, officia,fines,præſtitutáſque periodos deducant. Et hunc ipſum non obſcurum eſt,eſſe ſcopũ cœli,ſyderũmque perpetui curſus. Quocirca corporum cœleſtium motus,& aſpectus accommodare ad certam prçſcientiam ſingularium

Notanda reſolutio.

Excellẽtia ſolis.

Scopus motus corporũ cœleſtiũ.

rium, rerúmque aſsiduę volubilitati ſubiacentium (proximis ac particularibus cauſis minimè connexis, & cognitis) perinde eſt, ac ſi quis ſyllogizando ex maiore prę- miſſa, non ſubſumpta minore propoſitione, aſſertionem quampiàm ſingularem vellet concludere. Vanam itáque & ineptam liquet, totam eſſe Aſtrologicam diuinationē: vt pote quæ cœlo ſoliſque aſtris inſpectis (quę cauſę ſunt tantummodò cōmunes, atque remotę) propinquorum, proximorúmque agentium, non habito, néque cognito concurſu, & actione de futuris, particularibúſque effectibus, certam præſumit ſe aſſequi notitiā. Subiecimus hac de cauſa Solonis, primi ex ſeptē Græciæ ſapientibus Elegeiam, de mutatione ætatum humanæ vitæ: ex qua aper tè licet intueri, non ex aſtrorum diſcurſu, ſed ex humido radicali per ſeptenarios numeros creſcente, aut decreſcente, ſtamina vitæ noſtræ deduci. Excerpta eſt aūt hæc Elegeia ex ſexto libro Stromatum Clementis Alexandrini.

Apta ſimilitu.

Clemēs Alexandrinus.

Infans ſeptenos poſtquàm compleuerit annos,
Producti dentes, vallus vt oris erunt.
Poſtquàm ſeptem alios Deus huic conceſſerit annos,
Fit pubes, ſeménque huic genitale datur.
Verùm ſeptem alijs poſtquàm annis creuerit ætas,
Penſa ſeges barbæ contegit orta genas.
Additus eſt illi cùm ſeptenarius alter,
Vir tum virtutis fortia ſigna dabit.
Sed monet adueniens vxorem ducere quintus,
Poſteritatis & hunc tunc meminiſſe ſuæ.

Solers ingenium,firma & prudentia ſexto eſt,
Stulta nec hunc deinceps facta videre iuuat.
Septimus acceßit cùm ſeptenarius,atque
Octauus,lingua pollet & ingenio.
Nono aliquid poſſunt,ſed iam minuuntur in illo
Vires,queîs peragunt fortia facta viri.
Sed decimus cum alios ſeptem perfecerit annos,
Maturam mortem triſtia fata dabunt.

CAPVT DVODECIMVM, ET VLTIMVM.

De ipſorum Aſtrologorum patenti, & periculoſa imperitia: inſuper & de Aſino Aſtrologo non iniucunda quædam recitatur hiſtoria.

NON ſum ego in ea hęreſi,vt putem ſtellas erraticas ſeptem,reliquáq; cœli ſydera nihil,preterquàm luminis in ſe cótinere virtutem, nullúmque aliud commodum mundo ab eis impartiri.Nam cum ſeptem illi vagantes planetæ,motiones habeát proprias,primi cœli reuolutioni oppoſitas, fines ac vires certas illis motibus reſpondentes , ſibi conſtitutas eſſe veriſimile eſt.Et cùm in canticis Dauidicis audiamus,qui nu

merat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat: nomina verò à rerum proprietatibus imponi ſoleant, veritati conſentaneum eſt, ſtellam vnãquámque, vt nomine, ita & ſingulari aliquo munere, à ſummo opifice fuiſſe honeſtatam. Verùm cùm ſydera ipſa ſint ſupra nos adeò altè collocata, vt ęgrè à nobis diſcernãtur, eorúmq; radii ita tenues exiſtant, vt vix illos percipiamus: qua via, quibúſue ocularibus inſpecillis, occultas earũ virtutes, ſpiracula, aut deſignationes intuebimur? Præterea cùm errãtium ſyderum vera ignorentur nomina (nam Saturni, Martis, Iouis, Mercurii, Veneris, ſignorúmque cœleſtiũ, vt inquit Caſsiodorus, non à Deo, ſed à falſorum deorũ cultoribus impoſita fuere) quonãmodò ipſorum proprietates, impreſsiones, & quid in futurum protendant, deprehẽdemus: cùm lapillorum, gemmarum, ſtirpium, aquarum, & eorum (quæ ſub pedibus noſtris ſunt) vires, maxima ex parte ignoremus? Vnde ſuggillans aſtrologos Democritus aiebat. Quæ ſunt ante pedes ſuos, non vident, & cœlos ſcrutantur. Et Diogenes Cynicus, cuidam in foro Athenienſi miranda de genituris, aſtrorúmque effectu in homines referenti: O (inquit) amice, & quando à cœlis ad nos deueniſti? Irridens nimirùm hominem, qui de ſtatu cœli, totóque ſyderum regno palàm diſſereret, cùm nunquàm fuiſſet in cœlis, nec inter aſtra verſatus. Porro ab humana imbecillitate capi non poſſe ordinem cœli, ſtellarúmque vires, vox diuina cõfirmat. Nunquid (inquit) noſti ordinem cœli, aut pones rationem eius in terra? Et rurſum: Quis enarrabit rationem cœlorum? Origenes

Pſalm. 146.

Caſsiodorus.

Democritus.

Diogen.

Iob. 38.

genes Plotinum aliquando ſequutus, opinabatur cœlũ librum quendam eſſe magnum,& apertum,omnia, quæ in mundo agerentur, velut deſcripta in ſe continentem, non tamen efficientem.Cæterùm librum hunc putabat à nemine poſſe legi,multo minùs intelligi,vt pote nimium à nobis remotum,& innumeris lineis, characteribúſque repletum,qui & continuè adeò rapidè voluatur,vt nulla in eius parte,oculorum aciem figere liceat. Iam vt demus multum in nos virium,poteſtatiſque habere ſydera, illud tamen quicquid eſt,ingenio humano manet incõprehenſibile,quòd momenta, & horoſcopi natiuitatum (in quibus Aſtrologi ſua firmant iudicia) ſtabili intuitu nequeant apprehendi:tum ob concitatiſsimum ſyderum curſum, tum ob tarditatem noſtræ conſyderationis.

Origen.

Cur Horoſcopi incomprehenſibiles.

Vnde hoc in articulo Nigidii figuli rota,à Mathematicis decantata,in Mathematicos ipſos retorquetur.Si enim tã breui temporis momento,propter cœli rapacitatem, horoſcopi,Horizontes, ſtellarúmque poſitio tranſcurrunt, atque mutantur,quis vnquàm de nato puero aliquid ſtabile poterit preuidere,cùm multum temporis interſit inter conceptum,& natum puerum,nec eodem momento totus partus ab vtero egrediatur? Quod quidèm temporis interſtitium,mortalibus oculis & ſi videatur exiguũ, iudiciũ tamen prognoſticantis ſuper velociſsimo cœli gyro innixũ variet,infirmetúrque,neceſſe eſt. Eadẽ caligine premi Aſtrologos in Prognoſticis,quę quotannis de anni,menſiũ,aëriſque diſpoſitione parturiunt,vel lippis & tonſoribus liquet.Ita enim frequenter mentiri deprehenſi ſunt,

Rota nigidij figuli.

Ratio hæc eſt Auguſti lib.5. de ciui.dei.

ſunt,vt ſi quando veram contingat ſuam eſſe prædictionem,rara auis in terris,nigróque ſimillima Cygno,& magis à fortuna quàm ab arte prodiiſſe,exiſtimetur. A prudentibus enim viris,tanquàm mendaciorũ niduli,ii Prognoſtici libelli contemnuntur, à vulgo tamen imperito, nugarum,ac rerum inutilium emaci, auidè empturiuntur. Aëris nempe immutationem,ventorum flatus, tempeſtatéſq; ſonoras multò certiùs præſagiunt bubulci,opilionéſque montani,ac ſenes rurales:tum ex cornibus Lunæ,tũ ex Solis orientis fuſcato,aut claro vultu: aut olim ſæpius obſeruatis quibuſdam ſignis,longuáue traditione patrum,atque iſti ſyderũ inſpectores, domeſticóſque ſeſe iactantes.Quanta enim laborent imperitia, in pronunciãdis temporum futuris diſpoſitionibus,toti mundo patefactũ eſt, famoſo illo,falsóque Prognoſtico,in quo Aſiani,Europeíque Aſtrologi conuenerant. Futurum enim cataclyſmum,aut ingentem inundationem in totius Europæ regionibus præſabantur euenturam,anno viceſimo quarto,ſupra milleſimum quingenteſimũ.Incœpturum verò hunc aquarum defluxum ſecunda Februarii die,Purificationi Deiparæ virgini dicata.Quantus autem pauor,ingénſque trepidatio tũ inuaſerit,non modò vulgi,verumetiam magnorum virorum pectora,difficile dictu eſt.Ad Montes ſanè altos cõfugiſſent plurimi, deſertis vrbibus,ſi non adieciſſet illa predictio,tanta fulgura, tantóſque aquarum gurgites ſuper montes effundendos, vt non minori periculo vrgendi forent montani, quàm campeſtres habitatores. Quapropter cymbas effabricare

Nota de vanitate annuorũ prognoſti.

Nota magnũ erratum Aſtrologorum, circa annũ domini. 1524

ſatagebant multi, vt Noe inſtar huius noui diluuii vndas rate ſuperarent. Pudet me referre quàm attonitũ Epiſcopum (alioqui pium & prudentem virum) vrbémque illius ſatis celebrem conſternatos hoc metu, inuenerim. Cùm eò loci prędicationis gratia adueniſsẽ, vix illis perſuadere potui vanas, miniméque credendas has minas. Quippe quas non quiſpiam diuinus Propheta, aut vir ſanctitate venerandus, ſed vaniloqui diuinatores (quibus Eccleſia credi vetat) hanc cladẽ prænunciaſſent. Ii certè formidoloſi poſtmodùm coacti fuere, ſemetipſos vanę credulitatis arguere, inuicémq; irridere, cùm dies illa clariſſima, ſereniſsimáque tota perſeueraſſet, cui Aſtrologi huiuſce diluuii adſcripſerant initium. At cùm fatalis ille annus pacatus, & ab omni impetu aquarum vacauerit, apertè indicauit, quàm imperiti, fallacéſque ſint, in prognoſticanda futuri temporis veritate, ſinguli Aſtrologi, cùm de anni illius qualitate, ac temperie, omnes ſimul collecti, tam alienum à veritate iudiciũ protuliſſent. Nec importuna (vt arbitror) ad noſtrum propoſitum cõfirmandũ, iucundæ cuiuſdam Hiſtoriæ inſeretur narratio. REX

Hiſtoriæ iucũdæ narratio.

FRANCORVM LVDOVICVS vndecimus (cuius multa dicta, factáque celebrantur) famatum Aſtrologum quendam in aulam ſuam adſciuerat, cúmque æſtiuo tempore, die quadam venandi deſiderio teneretur, rogat Aſtrologum de die illa, an libera ab imbribus, venationiq; foret propitia. Aſtrologus ſuis inſpectis tabulis, reſpondit fore tranquillam, aptámque venatui. Hoc reſponſo accepto REX progrediens,

prope

prope ſyluam obuium habuit Carbonarium, Aſellum onuſtum agentem, qui REGEM admonuit ſi ſaperet, domum reuerteretur: inſtare enim, antequàm aduesperaſceret, grandem aëris intemperiem, magnóſque imbres ſequuturos. REX vilis hominis verba cõtemnẽs, vt pote longè aliter ab ASTROLOGO perſuaſus, in intimã procedit ſyluam. Verùm paulò poſt con tenebrato aëre micant fulgura, fragor auditur tonitruorum, denſantur nubes, & à Sole reſoluuntur, víſque tanta ingruit aquarum, vt breui tota ſtagnaret ſylua. Hinc autem atque illinc dilabentibus venatoribus, regiíſque famulis diſperſis, REX relinquitur ſolus, foſſatis dinde ac Torrentibus confeſtim vi aquarum repletis, REX ipſe non abſque vitæ magno diſcrimine, ſtrenui equi beneficio totus madidus, lutulentúſque euaſit. Poſtridie vo catum Carbonarium interrogat, quanam in ſchola Aſtro rum diſciplinam didiciſſet, quáue arte inſtantem temporis intemperiem, iudicio ita certo, ſibi prædixiſſet. Cui ille. Ego, domine, ſcholam nunquàm intraui, nec vllas literas noui, ASTROLOGVM tamen apud me habeo, qui me nũquàm fefellit, in imminentis pluuię, temporíſque mutationis prę̨ſagio. Cùm REX mirabũdus percunctaretur ASTROLOGI illius nomen, is eſt, inquit, ASELLVS meus, quem heſterna die ducentem me vidiſti.

Im-

Imminente enim intemperie, imbriúmque vehementia, auriculas protendit, tardiùs ſolito graditur, parietibꝰ hæret, coſtáſque in eis atterit. Iis ſignis indubitatum pluuiæ aduentum prænoſco. Quæ ſigna cùm vidiſſem, te admonebam, vt ea die à venatione deſiſteres, domúmque redires. Iis auditis ſubintulit Rex, Eiiciatur Aſtrologus iſte de domo noſtra, qui ſuo mendatio pene me perdidit: ſtipendia verò illi conſignata, dentur carbonario, vt lautè tractet Aſinum ſuũ. Viuit enim dominus: quia deinceps alio non vtar Aſtrologo, quàm Aſino Carbonarii. At quot principes, priuataſque perſonas vana ſpe, aut timore fefellerint, iiſque illuſerint, catalogum citiùs nauium Homeri, quàm horum numerum quis recenſuerit. Quo enim modo aliorum fortunas, caſus, exitúſue prænoſcét, qui, quæ ſibi ipſis ventura ſunt, ignorant? Ne verò lectorem copia exemplorum onerem, vnius ſummi, famoſiq; in hac arte magiſtri, duntaxat exemplum referam. Is fuit Alphonſus Rex Caſtellæ, cognomento Aſtrologus: cuius nomine Ephemerides (quæ dicuntur Alphonſinę) circunferuntur. Qui in hac diuinandi profeſsione, tanti erat nominis, vt vndequáque, etiam ab infidelibus principibus, de futuris euentibus, maximè verò de fatis natiuitatum liberorum ſuorum perinde, vt oraculum, conſulerentur. Sed aduertat prudens lector, quid illi contigerit, cùm Alphonſus hic iam ſeneſcens, defuncta prima vxore, ſecundam admodùm præſtanti forma duxiſſet, veritus ex priore vxore æditus filius, ne ſi liberos ex ſecũda rex procrearet, ipſe poſtponeretur, regióque diademate exueretur,

Nota. de Rege Alphōſō Aſtrologo.

Freſardus Galbus in hiſtor. ſui tēporis.

tur,

tur,occulta conſpiratione,magniſque muneribus,ac pol licitationibus,procerum regni animos ſibi deuinxit,regiúmque titulum ab eis extorſit:& confeſtim regem patrem nihil tale cogitantem, perque amœnos agros vnà cum noua ſponſa expatiantem,ab vxore ſeparauit,atque in caſtro quodam munitiſsimo concluſit: Qui regio honore ſe videns nudatum,& ab vxore ſeiunctum, inſuper libertate,veluti captiuum à proprio filio ſpoliatum, præ animi mœrore miſer,atque captiuus triſte vitæ ſuæ fatũ expleuit,regia dignitate,ac libertate priuatus, mirantibus vniuerſis, tantum futurorum vatem,alienarum formarum præſagum famigeratum, ſuum ipſius triſte fatum, propriique filii facinus nec præſciuiſſe,nec prȩcauere potuiſſe. Verùm iſta diuino aguntur iudicio,vt qui ſe tolunt in altum, Deo conferri volentes, lapſu grauiore ruant. Quocirca meminiſſe cũctos decet veriſsimi illi⁹ verſiculi

Neſcia mens hominum fati,ſortiſque futuræ.

Quam ſententiam Salomó priùs ediderat. Neſcit,inquit, homo finem ſuum,ſed omnia in futurum ſeruantur incerta,& alibi: Cogitationes hominum timidæ,& incertæ prouidentiæ noſtræ. Vnde ſupereſt à Deo,patre miſericordiarum,qui & eſt ipſa miſericordia,poſtulemus,vt cuſtodiat introitum,& exitum noſtrũ, ex hoc nunc & vſq; in ſeculum,poſtergatis ac reiectis curioſitatibus omnibus,& falſis inſaniis hominum deprauatorum,calliditatéque Sathanæ,velut Draconis peruigilis, in perniciem noſtram incumbentis, efflatis. Et hęc de vanitate,impotentiáque huiuſce profeſsionis dicta ſufficerint. Reliquũ

Eccle. 9

Sapi. 9.

erit

èrit in ſequènti Libro, quid ſanctitate, ſapientiáque re-
pleti priſci partes de hac arte ſtatuerint, &
ſenſus eorum, & verba referre.

Finis prioris Libri.

EIVSDEM

Authoris Liber ſecũdus:

IN QVO PRISCORVM recentiorúmque Doctorum, de hac profeſſione diuinatricis Aſtrologiæ, ſententiæ referuntur.

Præfatio ad ſequentia.

NE quis arbitretur ſolos quoſdam recentiores doctos, pióſque viros, in temerariam, improbámq; diuinitatis ſimiam, diuinatricẽ Aſtrologiam calamum ſtrinxiſſe, inſerẽdas putaui diſputationes eas, quibus antiqui patres (magna Chriſtianę religionis luminaria, ſanctitatis, ſapientiéque ſplendore micantia) hanc traditionem, nõ modò, vt inanem, verumetiam vt profanam, impiámque abiicerint, operæpretiũ exiſtimans, nõ tantûm ſenſum, quin & integram verborum

rum ipſorum ſeriem(tametſi nõnunquàm prolixam)texere. Tum vt qui libris horum authorum carent, deſyderio illorum minimè fatigentur: tum vt nemo non intelligat Heroicos illos viros nihil diuinũ, nihil humano ingenió partum latuiſſe, ad confirmandã tuendámque veritatem, euertendam pariter falſitatẽ, impietatémque conducens: prolixitatem verò narrationis (vt ſperamus) vtilitate, ac decore eloquii oratio compenſabit. Adiecimus præſtantiſsimi, tum Philoſophi, tum oratoris Marci Tullii Ciceronis teſtimonium: vt compertum habeamus, nõ modò rectè fidei lumine illuſtratos, verùm quóq; gentiles, ſolo rationis iudicio imbutos, hanc ex Aſtrorũ inſpectione vaticinationem repudiaſſe átque damnaſſe.

DISSERTATIO MAGNI Baſilij, qua magnifico, vibrantíque ſermone, amentiæ impietatíſque eos arguit, qui ex poſitione ſtellarum, actiones, vitámque hominum prædici poſſe exiſtimant.

Baſilius in Hexa meron.

BASILIVS (cui ob ſanctioris vitæ, eloquentiéque eminentiam, totus Oriẽs magni agnomẽ dedit) Homelia ſexta libri Hexamerõ, poſtquàm verba illa explanaſſet, Fiant luminaria in firmamẽto cœli, & ſint in ſigna, & tempora, & diuidant dies, & annos

nos. Hæc ſubdit. Sed homines, qui ſepta tranſiliunt in patrocinium, defenſionémque ſyderalis ſcientiæ (qua ex hominis natiuitate pleráque diuinant) hanc ſcripturæ ſententiam trahere conantur, atque aiunt, vitam noſtrã humanam à cœleſtium corporũ motione pendere, & hanc cauſam ex ſyderibus à Chaldęis, eorum notationes effectuum, qui nobis accidunt, fieri, ſermonémque ſimplicem hunc ſcripturæ. Sint inquam, in ſigna, non eorum, quæ acciduut aëri, néque mutationes temporũ, ita prorſus (vt opinantur, eíſque placet) intelligunt. Quid enim aiunt ſtellarum meantium cum iis ſyderibus nexum, quę ſignifero in orbe ſunt collocata, ſi talis figuræ concurſus earum fuerit, tales hominum ortus agere: ſin talis, contrariam ortus, vitæque ſortem efficere? De quibus ſi parũper diſſeruierimus, haud ab re forſan fuerit, paulo altiùs (dilucidictatis gratia) principio ſumpto. Dicam autẽ nihil ex meipſo, ſed illorum ipſorũ, ad eos redarguendos, ſententiis vtar. Hinc enim iam hoc morbo occupatis remedium, cęteris (ne in ſimiles errores incidant) ſecuritas adferetur. Authores dictę facultatis, ac inuentores, cùm in temporis amplo ſpatio, complures figuras, ſuam ipſorũ conſcientiam fugere percepiſſent, in anguſtum admodùm tẽporis contraxere mẽſuras, vt minutiſsimo quóq; & ſubitario articulo, quale eſt, quod Apoſtolus dicit, in puncto temporis, in momento oculi, plurimum differẽtiæ ſit inter natiuitatem & natiuitatem. Vt is quidèm, qui in momento hoc genitus eſt, tyrannus ſit, ciuitatum, populorúmque princeps locupletiſsimus & præpotens. *1.co.15*

Nota Aſtrologos ex ſuis ſentẽtijs cõfutari.

Is autem, qui natus eſt temporis ſequenti momento, pauper quidèm, inops, peregrinus, ex oſtiis oſtia petẽs, quotidiani conſequendi cauſa victus. Quamobrèm eo orbe (qui ſignifer appellatur) duodecim in partes diuiſo, cùm in triginta dierum ſpatio, partem Sol eius globi tranſeat duodecimam, quem inetrantẽ appellant, triginta in portiones, ſingulas illas duodecim partẽs ſecuerunt: tũ ſingulis portionibus illis in ſexaginta minuta diuiſis, minuta hęc ſingula rurſum in alia ſexaginta, modo ſimili diuiſere. Poſito igitur enixu, videamus, obſecro: ſi hanc exactiſsimam temporis diuiſionem authores ii valeant ſibi conſeruare. Nam ſimuulárque nata eſt, æditáque in lucem proles, mas, an fœmina ſit, obſtetrix explorat, tum vagitum expectat infantis: nimirùm iudicium vitæ, quot hoc tempore vis ſexageſima præteriiſſe minuta? dicit obſtetrix. Deinde Chaldęo partum, qui æditus eſt, quot minutiſsima momenta vis intereà, dũ obſtetrix loquitur, prętercurriſſe? Præſertim ſi fortè fortuna fuerit, non in conclaui Chaldæus ille præſens, ſed in ædium atrio, aut veſtibulo: tempus horámque reponens, & cùm eum, qui diſſiniturus eſt, diligenter tẽpus ac horam exploratoria nimirùm horarum, percipere, ſiue diurna ſint, ſiue nocturna, oporteat. Quot minutorum, quæſo, hoc quôque tempore, peruolat præteritque examen? Compertam enim eam eſſe ſtellam, qua tempus horáque ſit exploranda, nõ ſolùm quãta in parte ſit duodecima, ſed etiã qua in duodecima portione partis, in quotóque minuto eorum (in quã) diuidi diximus portionẽ, aut vt exactiſsimè comperiatur

periatur quoto i ſexageſimo eorũ,in quæ ſibi diuiſa ſunt ſingula ſexageſima illa prima, neceſſe eſt. Atque hanc tamen adeò tenuem,ſubtilémque temporis inuentionem, quanquàm attingere nequeunt, ſingulis in ſtellis errantibus,vt qualem ad adhærentes cœlo ſtellas, ipſæ diſpoſitionem haberent, qualiſque ipſarum eſſet inter ſeſe figura,cùm in lucem æderetur fœtus,compertum ſit tandem,ac exploratum. Quæ cùm ita ſint,ſi fieri nõ poteſt, vt tempus illud exactiſsimè quiſquàm attingat,variationéque tẽporis fit, vt tota via penitus aberretur: deridẽdi profectò non mediocriter eſſe videntur,tam ii, qui ſtudio huius indulſerunt artis, quam in ratione rerum non eſſe conſtat,quàm ii,qui hiantes ab illorum ore pendent intẽti,perinde quaſi omnia illi ſcire poſsint,quę ipſis ſunt euentura. At qualia,quæſo,ſunt & effecta,quæ inde aſſerunt prouenire? Criſpum inquiunt quempiam fore capillo,gratúmque aſpectu. Eſt enim æditus in lucem arietis tempore. Tale autem,ipſum animal aſpectu, quodam modo eſſe videtur: at erit & animo grandi, atque elato. Quippe cùm & aries dux ſit gregis, faciet etiam omnia animo prompto,denique ad lucrandum appoſitus erit. Nam hoc animal, & citra moleſtiam vellus deponit, & à natura eodẽ facilè rurſum veſtitur. Sed in Tauro natũ, laborioſum eſſe dicunt,atque ſeruilem: quoniam & taurus iugo ſubiicitur. Eſt,& qui ortus eſt in Scorpio,propenſus ad ferendum,atque inferendos ictus paratus, ob ſimilitudinem eius beſtiæ,& iuſtitia præditus. Itidem is, quem enixa eſt ſua parens tempore Libræ, non niſi ob

Deridẽdi aſtrologi, & qui illis credunt.

 trutinę

trutinæ, lanciúmque, noſtri(inquam)inſtrumenti, quo pódera libramus,æqualitatem. Quid iſtis ineptius? Quid inſulſius? Quid ridiculoſius fuerit? Aries is,à quo natiuitatem hominis ipſe ſumis, pars eſt cœli duodecima,in qua cùm fuerit Sol,puncta verna,ſignáque tangit. Et Libra ſimiliter,atque Taurus partem orbis ſigniferi duodecimã occupant. Cur igitur illinc vniuſcuiúſque vitæ hominis, præcipuas proficiſci cauſas, aſſerens, ex iſtis pecudibus natorum hominum mores exprimis, atque effingis? Eſt autem is ad erogandũ procliuis, qui natus eſt in Ariete: non quia pars illa cœli tales efficit mores, ſed quòd hoc pecus naturam talem ſortitur. Cur igitur à ſyderum quidem dignitate credere tibi oportere nos cenſes, eniteris autem hæc eadem per balantes pecudes nobis perſuadere? Nam ſi cœlum tales morum habeat proprietates, ab animalibus iſtis ſumptas,ipſum etiam cœlũ alienis principiis eſt ſubiectum,quippe cùm à pecoribus cauſas pendentes habeat tales. Sin id aſſerere ridiculũ ſit:lõgè magis ridiculũ eſſe cõſtat ex iis, quorũ nulla prſus affinitas eſſe videtur,ſententiam illam eniti veriſimilẽ eſſe,atq; probabilẽ demõſtrare. Sed hominũ iſtorũ elegantes ſententię, ſapientéſque rationes,perſimiles ſunt aranearum telis,in quas ſi culex,ſi muſca,ſi quidpiam aliud inciderit,inualidis hiſce beſtiolis ſimile irretitum retinetur:ſin validiuſculum irruperit animal, ipſum facilè admodùm elabitur, atque penetrat,& exiguas illas diſcindit telas. Atqui non ii ſolùm hæc aſſerunt,ſed etiam eorum cauſas corporibus cœleſtibus tribuere pergunt. Quorum voluntatem

Nota.

In cælo nullæ ſunt animalium effigies.

Valida ratio cõtra cæli fictas imagines

Telæ aranearũ

dectionémque, cuiúſque noſtrum dominam eſſe cõſtat: operationum (inquam) probitatis, atque improbitatis: quam ſententiam confutare, alioqui ridiculũ, ineptúmue ſanè videtur. Sed quia pleróſque homines hoc errore præoccupatos eſſe non ignoramus, eum haud ſilentio præterire neceſſe eſt. Primùm igitur illud ipſos interrogabimus, ſit ne, vt ſingulis diebus ſyderũ figuræ, mille modis mutentur, ac varientur. Nam cùm vagæ ſtellæ perpetuò, continuéque moueãtur, & partim celeriore, partim tardiore motu, ſuos efficiant orbes, fit vt eadem in hora, tum mutuò ſeſe conſpiciant ipſę, tum occultẽtur: & cùm maximam vim habeat in hominum actu ab effectrice bonorum, aut malorum conſpici ſtella (vt ipſi cenſent) fit ne, vt ſæpè, cùm haud id attigerint ipſi tempus, quo bonorum effectrix ſtella dominabatur, ob vnius ignorantiam minuti, eam tum, vt in mala ſitam fortuna, deſignẽt? Cogor enim eiſdem nunc vti verbis, quibus & illi ipſi vti conſueuere. In verbis igitur huiuſmodi, magna quidèm amentia, multo autem maior impietas continetur. Cauſa nanque malignitatis ad opificem ipſarum redundat. Nã ſi natura ſtellis competit malũ, ipſe ſanè creator, effector erit malignitatis. Sin improbæ voluntate ſua, malęq; euadunt, primùm animantes rationis participes erũt, & abſolutis appetitionibus, imperioſiſque vtentur: quod quidèm inanimis falſo tribuere, ſummæ dementiæ conſtat eſſe. Deinde quantùm à ratione diſſonat, malum, ac bonum nõ pro dignitate cuique diſtribuere ſtellæ, ſed cùm hoc in loco fuerit, bonam, cùm ab hoc conſpecta ſydere

Impÿ Aſtrologi in deũ

Male de ſtellis loquuntur aſtrologi.

 fuerit

fuerit, malam eandẽ dicere: cùm parumper deníque declinauerit à figura, ſuæ protinus obliuiſci malignitatis. Sed hæc quidèm eoúſq; dicta ſint. Si verò ſingulis in momentis temporis atque punctis, in aliam, atque aliam ſydera figuram mutantur, in innumeris autem huiuſcemodi mutationibus, quæ vna die contingunt, regiæ conplures natiuitatis efficiuntur figuræ: cur ſingulis, quæſo, diebus non Reges naſcuntur? Aut cur apud ipſos reges omnia regna per ſucceſsiones traduntur? Non enim quémque regem ortum filii ſui, ad regiam ſyderum figuram obſeruantem accommodare, dicere audent. Quis enim mortaliũ rei talis domin⁹ eſſe poteſt? Cur ergo Ioathamum Oſias, Achaſum Ioathamus, Ezechiam Achaſus genuit, & horum ſeruilem ortus horam offendit nemo. Deinde ſi non in nobis probarum, ac improbarum operationum principia collocantur, ſed ex ortu neceſsitudines in nobis emergunt, fruſtra ſunt profectò legumlatores, agendas res, & non agendas ſed fugiendas definientes. Fruſtra ſunt Iudices etiam, virtutem honore, vitium pœnis afficientes. Non enim hoc pacto iniuria cõmiſſa furis eſt, aut latronis: quippe cui néque volenti quidèm ob ineuitabilem, ipſum impellentem ad agendum neceſsitatem, manum continuiſſe licuerit. Vani denique homines ſunt, & qui dant artibus operam, in ipsíſque elaborant. Sed compos quidèm erit agricola ſui voti, néq; ſeminibus vllis iactis, néque ad meſſem falce parata. Diues autẽ ipſe mercator admodùm, nolit, velit, euadet, ipſi pecunias aggregante, accumulantéq; fato. Spes deniq; magnæ

Aſtrologi libertatẽ voluntatis & omnia iura ſubuertunt.

Aſtrologi iuſtitiã Dei, & ſpẽ chrſtianorum abolẽt.

magnæ illæ Chriſtianorũ enaneſcent omnino nobis, atq; peribunt. Quippe cùm neque iuſtitia honoribus vllis af ficiatur, neque peccata, delictáque puniantur: propterea quod nihil prorſus ab hominibus, libero animi propoſito agatur. Nam vbi neceſsitas vrget, fatúmque dominatur, nullum id ibi locum, quod pro dignitate penditur, obtinet. Id, inquam, quod iuſti iudicii muns præcipuũ eſſe conſtat. Sed cõtra illos coúſque ſit diſputatum. Neque enim vos pluribus verbis egetis, quippe à vobiſmetipſis eſtis prędíti fidei ſanitate, & tempus non patitur vltra modum in illos diſſerere.

Hæc Baſilius.

DIVI IOANNIS (qui ob dicendi gratiam, Nili fontibus vberiorem, Chryſoſtomus nuncupatus eſt) verba ex Homelia ſecunda ſuper Matthæum, in opere imperfecto, quibus oſtendit hac Aſtrorum obſeruatione liberum tolli hominis arbitrium, Deum blaſphemari, & omnia iura ſubuerti.

Ex

EX eo autem, quod dicit
ſcriptura, Vidimus ſtellam
eius in oriente: videtur oc
caſionem dare infidelibus
de Aſtrologia, vt vnum-
quémque putent ſuæ ſtel-
læ motu & naſci & viuere.
Ideò bonum eſt de iis bre
uiter inferre ſermonem.
Si enim ſtellæ eſt, quòd
aut boni ſumus, aut mali: ergo nec bonum noſtrum lau-
dandum eſt, nec malum vituperandum. Quia néque eſt
in nobis voluntarius actus, vt quid enim boni mei lau-
dem merear, quod non meò arbitrio, ſed motu ſtellæ fa-
cio? Aut mali mei pœnam ſuſcipiam, quod non volunta
te, ſed neceſsitate commiſi? Nam nec poſſum fugere ma
lũ, etiam ſi volo, ſi meæ natiuitatis ſtella compellit ad ma
lum. Si adulter, & homicida fiunt per ſtellam, & in crimi
ne ſtella facit eos interfici, magna eſt illarum iniquitas ſtel
larum, magis autem illius, qui ſtellas ad hoc creauit. Inter
rogemus, ergo, ex ſe facta eſt creatura, an ab alio? Si qui-
dem dixerint ex ſe, audiant à nobis, quoniam impoſsibi-
le eſt, quod à ſe extitit, & euentu agitur, vt aliquem ordi-
nem habeat certum. Si autem dicũt ab alio, ergo iniquus
eſt, qui fecit. Nam cùm ſit præſcius futurorũ Deus, quòd
tanta iniquitas futura erat per ſtellas, ſi noluit emendare,
non eſt bonus, ſi autem voluit, & non potuit, impotens
eſt. Sed etiam iniuſtus eſt, quia ex neceſsitate ſtelleram
peccantes

Aſtrologi negãt merita.

peccantes ita punit,quaſi ex voluntate peccãtes. Ipſa denique mandata Dei, ne peccent,aut hortamenta, vt faciant bonum,hanc inſipientiam nonne deſtruunt? Quis enim hortetur aliquem,ne faciat malum,quod non poteſt declinare:aut vt faciat bonum, ad quod non poteſt peruenire? Deinde interrogemus,ſi idem ſemper eſt curſus ſtellarum,quarè non ſemper idem & hominum ſtatus? Si dicunt,per certos annos fit ſtellarum reſtauratio, neceſſe eſt ergo,qui ſciunt Aſtrologicam diſciplinã, quia per certos annos reſtituuntur ſtellæ, ſciant, & per quot annos reſtituuntur ſtellæ:quibus poſt reſponſum dicimus,quæ fuit illa ſtella,quæ fecit omnes homines in diluuio mori. Nunquid in ea extitit, vt iterum diluuium faceret,aut illi homines ſecundum vnam ſtellam nati fuerant. Nam oportebat per vnumquémque gyratum, eandem ipſam indeficientem rem conſummari. Nam ſi eiuſmodi motio,& gyratus ſtellarum, eiuſdem malitiæ, & eiuſdem bonitatis cauſam præſtat, oportebat non ſemel fieri Abraham,aut Patriarchas,aut Prophetas,aut Apoſtolos, ſed quotieſcúnque fit ipſe gyratus ſtellarum:denique ipſa conuerſio hominum teſtis eſt veritatis, Ante aduentum Chriſti,quæ ſtella omnes homines idola colere compellebat, cæteráſque iniquitates facere. Aut poſt Chriſtum,qualis gyratus ab idolis recedere homines fecit,& per totum orbem mores mutauit antiquos? Ecce Perſæ matribus & filiabus iunguntur:Iudæi autem,octauo die circunciduntur,& vnaquéque gens aliam, atque aliam habet cõſuetudinem. Si idem eſt curſus ſtellarum,

Legem dei explodunt

Nota.

quomodò Perſę ab illa conſuetudine nunquàm recedũt, néque Iudęi á ſua? Si autem dicatur ſecundum diuerſas regiones, diuerſa eſt ſtellarum operatio: quomodò ergo, qui in Perſide crediderũt, ab illa turpitudine recedere potuerunt, in eadem regione manentes? Aut qui non crediderunt, etiam peregrinantes in alia prouincia, mores patrios tenuerunt? Et Iudæi tranſmigrati in Babyloniam, & illic filios procreantes, quomodò nunquàm per ſtellas regionis illius compulſi ſunt à circunciſione ſua recedere, & illorum inſaniam ſequi? Ne quis ergo culpet ſtellarum diſcurſum, ſed ſuum propoſitum. Hæc Chryſoſtomus.

ACVTA, ELEGANTISſimáque diſputatio, qua Eccleſiæ lampas præfulgida diuus Ambroſius, Genethliacos, Aſtrologicámque profeſſionem confutat: demonſtrans eam eſſe inutilem, impoßibilem, impietatéque conſperſam, ex opere ſex dierum. Lib. 4. Cap. 4.

DEnique nonnulli natiuitatum tentauerunt exprimere qualitates, qualis futurus ſit vnuſquiſq; qui natus ſit: cũ hoc non ſolùm vanum, ſed etiam inutile ſit quærentibus, impoſsibile pollicentibꝰ. Quid enim tam inutile, quàm vt vnuſquiſq; per

ſuadeat

perſuadeat ſibi hoc eſſe,quod natns eſt? Nemo ergo debet vitam ſuam,ſtatum,moréſque mutare eniti,quò melior fiat.Sed in ea perſuaſione,nêque probum potes laudare,néque condemnare improbum,qui neceſsitati natiuitatis ſuæ reſpondere videatur.Et quomodò dominus aut præmia propoſuit bonis,aut improbis pœnas, ſi facit neceſsitas diſciplinam,& conuerſationem ſtellarũ curſus informat?Et quid eſt aliud,quàm hominem de homine exuere,ſi nihil moribus,nihil inſtitutioni,nihil ſtudiis derelinquitur?Quàm multos videmus ereptos criminibus,atque peccatis,in meliorem ſtatum eſſe conuerſos? Redempti ſunt Apoſtoli,& congregati ex peccatoribus, non vtique natiuitatis ſuæ hora,ſed Chriſti eos ſanctificauit aduentus, & hora Dominicæ paſsionis redemit à morte.Latro ille damnatus capitis,ille cum domino crucifixus,non beneficio natiuitatis ſuæ,ſed fidei confeſsione ad Paradiſi æterna tranſiuit.Ionam in mari non vis natiuitatis,ſed diſsimulatio diuinæ præceptionis præcipitauit,& oſtenſa:eumdémque cetus excipiens, ad iudicium futuri myſterii,poſt triduum reuomuit,& prophetiæ merito gratia reſeruauit.Petrum de carcere,imminenti morte perimendum,angelus Chriſti,non ſtellarum ſeries liberauit.Paulum cæcitas conuertit ad gratiam, & percuſſum à vipera,non remedia natiuitatis,ſed deuotionis merita ſaluauerunt.Quid de illis dicemus,qui eorum precibus,cùm fuiſſent mortui,reſurrexerunt. vtrum illos ſua natiuitas,an Apoſtolica gratia ſuſcitauit? Quid opus, vt ſe ieiuniis,periculíſque committerent, ſi ad quod volebant,

Aſtrologi exuũt hominẽ de homine.

bant,natiuitatis beneficio poterant peruenire? Quod ſi crèdidiſſent,dum ſpectant fatorum neceſsitatē,nunquàm ad tantam perueniſſent gratiā. Inutilis igitur eſt iſta perſuaſio.Quid?quòd etiam impoſsibilis. Nam (vt de eorū diſputatione aliquid ſumamus, redarguendi gratia, non probandi) magnam vim dicunt eſſe natiuitatis, eámque minutis quibuſdam,& certis colligi oportere momentis, ac niſi veriùs colligatur,ſummam eſſe diſtantiam. Breui enim atomo,exiguóque momento, diſtare natiuitatem inopis,& potentis,egentis,& diuitis,innocentis, & noxii: & plerúmque eadem hora generari longęuitati debitum,& prima pueritiæ ætate moriturū. Si reliqua diſparia ſint, & puncto aliquo diſcreta, hoc quemadmodùm poſsint colligere, reſpondeant. Conſtitue partum fœminæ:obſtetrix vtique eum primò cognoſcit, explorat vagitum,quo natiuitas colligitur:attendit vtrum maſculus ſit,an fœmina.Quot vis inter has moras prætcrire momenta?Pone Mathematicum præparatum, nunquid poteſt vir intereſſe puerperio,dum mandat obſtetrix,audit Chaldæus,ponit horoſcopum,in alterius ſortem iam nati fata migrarunt:de altero queritur, & alterius genitura proponitur.Pone veram eſſe eorum opinionem,de natiuitatum neceſsitatibus, non poſſe veram eſſe collectionem:puncta tranſeūt,fugit tempus irreparabile.Nō eſt dubium,quòd tempus in atomo, & in momento,in nictu oculi ſit. Adducor, vt credam, quando omnes in atomo,in momēto,in nictu oculi reſuſcitamur(vt Apoſtolus proteſtatur) dicens. Ecce myſterium vobis dico, omnes

Impoſsibilia pollicentur Aſtrologi.

1.Cor. 15

omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur, in momento, in nictu oculi, in nouiſsima tuba. Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, inter effuſionem, ſuſceptionem, depoſitionémque pignoris, inter fletũ eius, & nuntium, quot atomi tranſcurrunt? Et hoc, vt ſimpliciter iſta texuerim. Nam & ipſi vitalem illum ſignorum duodecim circuitum, in duodecim partes diuidunt: & quia triginta diebus Sol duodecimam partem Sphærę eius, quæ inerrabilis habetur, regreditur, quò gyrus Solis, anni circuitu compleatur, in triginta portiunculas (quas Meridas Græci vocant) vnámque illarum duodecim diſtribuunt portionem, ipſam quóque portiunculam in ſexaginta vices conferunt. Rurſus vnumquódque de illis ſexaginta, ſexagies ſecant. Quàm incõprehenſibile eſt, in quo ſexageſimo tot ſexageſimæ portiunculæ natiuitatis momenta conſtituant, & qui ſingulorum ſignorum ſit, aut motus, aut ſpecies in natiuitate naſcentis! Vnde cùm impoſsibile ſit, tam ſubtiles minutias temporis comprehendere, exigua autem minutia inuehat vniuerſitatis errorem, totum negotium plenum eſt vanitatis. Diſputatores eorũ, quę ſua ſunt, neſciunt: quomodò aliena nouerunt? Quid ſibi immineat, ignorant: quomodò poſſunt aliis, quæ ſibi futura ſunt, denuntiare? Ridiculum eſt credere: quia ſi poſſent, ſibi potius pręuiderent. Iam illud quàm ineptum, vt ſi quis ſigno Arietis ortum ſeſe dicat, ex vſu pecudis æſtimetur præſtantiſſimus conſilio, quod in grege, huiuſmodi emineat pecus, aut locupletior, eo quòd veſtitum habeat Aries natura-

De Horoſcopo, quod ſit incomprehenſibilis.

Nota.

 lem

lem,& quotannis lucrum capiat indumenti, eóque viro illi familiaria videantur,quæſtuum eſſe compendia. Similiter & de Tauri,& de Piſcium ſignis argumentantur, vt ex natura vilium animantiũ cœli motus,& ſignorum, interpretandas exiſtimant poteſtates. Cibus ergo noſter viuendi nobis decreta conſtituit,& alimenta noſtra nobis,id eſt,Aries,Taurus,Piſcis,morum imprimunt diſciplinam. Quomodò igitur de cœlo nobis cauſas rerum, & ſubſtantiam vitæ huius accerſunt,cùm ipſis cœleſtibus ſignis cauſas motus ſui,ex qualitatibus eſcæ vilis,impartiant.Liberalem aiunt ortum Arietis ſigno, eo quòd lanã ſuam aries,non inuitus deponat, & huiuſmodi virtutem vilis animantis malũt naturæ deputare,quàm cœlo. Vnde & ſerenitas nobis fulget,& pluuia ſæpè deſcẽdit. Laborioſos & patientes ſeruitii, quos naſcentes Taurus aſpexerit:quia animal laborioſum eſt,aſſuetum iugo, ſpontanea ſeruituti colla ſubmittens.Percuſſorem quoque,cuius natiuitatem Scorpius in ſua parte cóplexus ſit, & malitiæ venena reuomentem, eo quòd animal venenoſum ſit.Quid igitur authoritatem viuendi daturum te,ſignorum cœleſtium dignitate prætendis,& de nugis quibuſdam argumentum aſſertionis aſſumis?Nam ſi de animalium figuris;aſſumptæ huiuſmodi morum proprietates cœli motibus imprimuntur,& ipſum videtur beſtialis naturæ poteſtati eſſe ſubiectum,ex quo cauſas vitalis ſubſtantiæ,quas hominibus impartiret,accepit.Quod ſi hoc abhorret à vero,multomagìs illud ridiculũ,veri eos ſubſidio deſtitutos,hinc fidem ſuæ diſputationis accerſire.

Contra imagines,quas in cœlo Aſtrologi ponũt

deinde

deinde illud conſideremus, quòd planetas illa ſigna appellant, quorum motibus formari aſſerunt vitæ noſtræ neceſsitates. Siue igitur (vt nomen ſonat) ſemper vagentur, ſiue (vt ipſi dicunt) quòd concito motu ferantur, & decies millies in die, aut, ſi hoc incredibile videtur, multiplicem ſpeciem innumera ſui conuerſione commutẽt, fide caret, quod tam vago ſui errore, & tam celeri motu, fixam nobis atque immobilem viuendi ſubſtantiã ſortémque decernant. Ferunt tamen non eſſe æquales omnium motus, ſed aliorum celeriores, aliorum tardiores eſſe circuitus, vt in eadem hora, & videant ſe frequenter, & frequenter abſcondant, dum aliud ab alio prætericur. *Iudicia Aſtrologorum non habent, in quo firmentur.* Aiunt autem plurimùm referre, vtrùm ortum generati benefica ſigna videant, an malefica & noxia, & in eo natiuitatis eſſe diſtantiam, quòd benefici ſigni aſpectus plurimum conferat, malefici & noxii plurimùm noceat: ſic enim eadem ſigna, quæ venerantur, appellare conſueuerunt. Neceſſe enim habeo eorum vti (quorũ vtor) aſſertionibus, ne ignorata magis, quàm vacue facta, atque deſtructa, ſua argumenta commemorent. Iráque cùm illum vagum, celerémque motum non queant comprehendere, ſæpè fit vt per illam puncti & momenti incõprehẽſibilis ſubtilitatem, ponant benefici ſigni aſpectum, vbi grauis, atque nocitura incurrat offenſio. Et quid mirum, ſi ibi luduntur homines, vbi ſigna innoxia blasphemantur? Quæ ſi natura eſſe noxia creduntur, DEVS ergo ſummus arguitur, ſi fecit, quod malum eſt, & fuit improbitatis operator.

Si

Si vero ex ſua voluntate putantur aſſumpſiſſe, quod noceat inſontibus, & nullius adhuc facinoris ſibi conſciis, quibus pœna adſcribitur, antequàm culpa, quid tam irrationabile, quod etiam irrationabilium beſtiarum excedat immanitatem, vt vſus fraudis, aut gratiæ, non meritis hominum deputetur, ſed ſignorum motibus deferatur? Nihil (inquit) ille deliquit, ſed noxia eum ſtella cõſpexit. Saturni ei ſydus occurrit, auertit ſe paululùm, & ærumnam à ſe abſtulit, & crimen aboleuit. Sed hæc eorum ſapientia, telæ araneæ comparatur: in quam ſi culex, aut muſca inciderit, exuere ſe non poteſt. Si verò validiorũ animantium vllum genus incurriſſe viſum eſt, pertranſiuit, & caſſes rupit, infirmos atque inanes laqueos diſſipauit. Talia ſunt retia Chaldæorum, vt in his infirmi hę reant, validiore ſenſu offenſionem habere non poſſunt. Itáque vos qui validiores eſtis, cùm videritis Mathematicos, dicite, Telam Araneæ texunt, quæ nec vſum aliquem poteſt habere, nec vincula: ſi tu non quaſi culex, aut muſca, lapſu tuę infirmitatis incurras: ſed quaſi paſſer aut columba, caſſes inualidos, præpetis volatus celeritate diſſoluas. Etenim quis prudentium credat, quòd ſignorum motus, qui ad diem ſæpe mutantur, & multipliciter in ſe recurrunt, inſignia deferant poteſtatum? Nam ſi ita eſſet, quantæ ad diem regalium natiuitatum exprimerentur figuræ: quotidiè ergo Reges naſcerentur, nec regalis in filios tranſmitteretur ſucceſsio: ſed ſemper diuerſo ſtatu, qui ius imperialis acquirerent poteſtatis, orirentur. Quis igitur regum genituram filii ſui colligit, ſi ei debeatur

Aduerte.

tur

tur imperium, & non proprio ſucceſsionem regni in ſuos tranſcribit arbitrio? Legim⁹ certè quòd Abia genuit Aſſa, & Aſſa genuit Ioſaphat, & Ioſaphat genuit Ioram, & Ioram genuit Oſiam, & reliqua: omnis vſque ad captiuitatem per reges, generis pariter & honoris ducta ſucceſsio eſt. Nunquid quia reges fuerunt, ſignis cœleſtibus formãdos motus ſuos imperare potuerũt? Quis enim hominũ poteſt habere in his dominatum? Deinde ſi ad neceſsitatẽ genitalem, non ad inſtituta morum, actus noſtri, factáq; referantur, cur leges propoſitæ ſunt, iura etiam promulgata: quibus aut pœna improbis decernitur, aut ſecuritas defertur innoxiis? Cur non venia datur eis, cùm vtiq; (vt ipſi aiunt) non ſua voluntate, ſed ex neceſsitudine deliquerint? Cur laborat agricola, & non magis ſpectat, vt inelaboratos fructus, priuilegio ſuæ natiuitatis, inuehat receptaculis horreorum: ſi ita natus eſt, vt ei diuitiæ, atq; opes affluant, vt ſibi ſpontaneos reditus, ſine vllo ſemine, atque opere terra parturiat, non vomerem aruis imprimat, non curuæ manũ falci admoueat, nõ legendæ vindemiæ ſubeat expenſam, ſed vltro ei in omnes ferias vina fundantur fluentia. Sponte ei oleum: nullis inſerta caudib⁹ ſylueſtris oleæ bacca deſudet, nec diffuſi æquoris trãſfretaturus periculum, propriæ ſalutis ſolicitus mercator horreſcat, cui otioſo poteſt (vt aiunt) quadam ſorte genitali, diuitiarum theſaurus illabi: ſed non eſt hæc vniuerſorum ſententia. Denique impiger depreſſo aratro, terrã ſcindit agricola: nudus arat, nudus ſerit, nudus ſole feruẽte, toſtas æſtate colligit fruges, & negotiator impatiens

Aſtrologi prudẽtiã & omnem diligentiam tollunt.

(flantibus Euris) in tuto ſæpè nauigio ſulcat mare. Quæ autem merces homini Chriſtiano, ſi non ex voluntate, ſed ex neceſsitate, curas ſuas & opera cōponit? Vbi enim directa neceſsitas, ibi inhonorata induſtria. Multa diximus, plura nolumus: ne quis ea, quæ à nobis, de illorum aſſertionibus vſurpantur ad refellendum, ad recognoſcēdum aſſumpta arbitretur. Nam quæ pueri riſimus, ea ſenes quî cōmemorare poſſumus? Hæc diuus Ambroſius.

Aſtrologi præmia æterna et pœnas tollunt.

DIVI HIERONYMI IN omni genere literarum ſummi, oraculorúmque propheticorum primi illuſtratoris ſententiæ, diuerſis ex locis excerptæ, quibus Aſtrologos, de diuinitatis vſurpatione damnat, vetitóſque adiri teſtatur.

SVPER Iſaiam capite 46. ſuper illis verbis, Redite præuaricatores ad cor, recordamini prioris ſeculi, quoniā ego ſum Deus: nec eſt ſimilis mei, annuntians ab exordio nouiſsima, & ab initio, & quæ necdum facta ſunt. Hieronymus. Senſus eſt. Ab initio mundi conſiderate, quòd præter me nullus ſit Deus,

nec

nec alius potuerit ſcire futura, niſi ego, qui per prophetas nuntio, quæ facturus ſum: vt cùm prædicta compleuero, probem meam diuinitatem. Et ſuper Ieremiam, capit. viceſimo nono. Porro (inquit) ſecũdum Tropologiam, Pſeudoprophetas eos debemus accipere, qui aliter ſcripturarum verba accipiunt, quàm Spiritus ſanctus ſonet: & diuinos eos, qui coniectura mentis ſuæ, incerta futurorum, quaſi vera pronuntiant, abſque diuinorum authoritate verborũ. Et ſuper Danielem capit. vndecimo. Cõfitentur Magi, confitentur Harioli, & omnis ſcientia ſecularis literaturæ, præſcientiam futurorum non eſſe hominis, ſed Dei. Ex quo probatur prophetas Dei ſpiritu loquutos, qui futura cecinerunt. Et ſuper Micheam capi. tertio. Diuinatio in ſcripturis nunquàm in bonam partẽ accipitur. Vnde eſt illud. Nõ eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſraël. Et ſuper Eccleſiaſtẽ capite octauo. Nemo eſt conſcius futurorum. Eſt enim magna animi humani afflictio, quia (vt Poëta ait) Neſcia mens hominũ fati, ſortiſque futuræ: aliud ſperat, aliúdque euenit, de altero ſpectans hoſtem, & alterius iaculo vulneratur. Scim⁹ tamen omnia à deo in vtilitatem fieri, & non abſque eius voluntate diſponi. Et ſuper ISAIAM Capite quadrageſimo ſexto, Pro eo quóque, quod nos iuxta Symmachum & Theodotionem interpretati ſums, Stent, & ſaluent te augures cœli. Septuaginta interpretes manifeſtiùs trãſtulerũt, Stẽt & saluẽt te Aſtrologi cœli (qui vulgò appellãtur Mathematici) & ex aſtrorũ curſu, lapsúq; ſyderũ, res humanas regi arbitrãtur. Et ſuper Iob cap. 41.

Secundum myſticum intellectum poſſunt homines inconditi, & irrationabiles moribus, iumenta appellari. Volatilia verò intelliguntur Dęmones, aut certè Aſtrologi.

DIVI AVGVSTINI ſplendoris Eccleſiæ, & qui latè reſerauit velamina ſcripturarum, earúmque nodos, atque ænigmata ſoluit, ſequũtur graues cenſuræ, quibus conſtanter Aſtrologicam diuinationem dæmonibus fœderatam, & quo magis vera denuntiat, eo magis fugiendam affirmat.

Auguſt. lib. 2. de doctrina Chriſtiana. Cap. 21.

NEQVE illi ab hoc genere pernicioſę ſuperſtitionis ſegregãdi ſunt, qui Genethliaci, propter nataliũ dierum conſyderationes, nunc autem vulgò Mathematici, vocantur. Nam & ipſi, quamuis verã ſtellarũ poſitionem (cùm quiſquis naſcitur) conſectentur, & aliquando etiam perueſtigẽt: tamen quòd inde conantur, vel actiones noſtras, vel actionum euenta prædicere, nimis errant, & vendunt imperitis hominibus miſerabilem

ſerabilem ſeruitutem. Nam quiſque liber, cùm ad huiuſmodi Mathematicum ingreſſus fuerit, dat pecuniam, vt ſeruus inde exeat, aut Martis, aut Veneris, vel potiùs omnium ſyderũ, quibus illi, qui primi errauerunt, errorémq; poſteris propinarunt, vel beſtiarum propter ſimilitudinem, vel hominum, ad ipſos homines honorandos impoſuerunt vocabula. Nec hoc mirandum eſt, cùm etiam propioribus, recentioribúſque temporibus, ſydus, quod appellamus Luciferum, honori, & nomini Cæſaris dicare conati ſint, & fortaſſe factum eſſet, atque iſſet in vetuſtatem, niſi auia eius Venus præoccupaſſet hoc nominis prędium. Nec iure vllo ad hæredes traiiceret, quod nũquàm viua poſſederat, aut poſsidendum petiuerat. Nam vbi vacabat locus, nec alicuius priorum mortuorum honore tenebatur, factum eſt, quod in rebus talibus fieri ſolet. Pro Quintili enim & Sextili menſibus, Iulium atque Auguſtum vocamus, de honoribus hominum Iulii Cęſaris, & Auguſti nuncupatos: vt facilè qui voluerit, intelligat, etiam illa ſydera priùs, ſine his nominibus cœlo vagata eſſe, mortuis autem illis, quorum honorare memoriam, vel coacti ſunt homines, vel regia poteſtate, vel placuit humana vanitate, nomina eorum imponentes ſyderibus, eos ipſos ſibi mortuos, in cœlum leuare videbátur. Sed quomodolibet vocentur ab hominibus, ſunt tamen ſydera, quæ Deus inſtituit, & ordinauit, vt voluit: & eſt certus motus illorum, quo tempora diſtingũtur, atq; variantur. Quem motum notare, cùm quiſque naſcitur, quomodò ſe habeat, facile eſt per eorum inuentas, conſcriptáſq;

Aſtrologi liberos, ſeruos faciunt.

 criptáſq;

criptáſque regulas, quas ſancta ſcriptura condemnat, di-
Eodem cap. 22. cens. Si enim tantùm potuerunt ſcire, vt poſſent æſtimare ſeculum, quomodò eius dominum non faciliùs inuenerũt? Sed ex ea notatione belle naſcentiũ mores, actus, euenta prædicere, magnus error, & magna dementia eſt: & apud eos, qui talia dediſcendo, didiſcerunt, ſine dubitatione refellitur hæc ſuperſtitio. Conſtellationes enim,
Cõſtellatio quid (quas vocant) notatio ſunt ſyderũ, quomodò ſe habeãt, cùm ille naſceretur, de quo iſti miſeri à miſerioribus cõſuluntur. Fieri autem poteſt, vt aliqui gemini tam ſequaciter fundantur ex vtero, vt interuallum temporis nullũ poſsit apprehendi. Vnde neceſſe eſt nonnullos geminos eaſdem habere cõſtellationes, cùm paria rerum, vel quas agant, vel quas patiũtur, euenta nõ habeant: ſed plerúnque ita diſparia, vt alius fœlicisſimus, alius infœlicisſimus
Gen. 25. viuat. Sicut Eſau & Iacob geminos accepimus natos: ita vt Iacob, qui poſterior naſcebatur, manu plantam præcedentis fratris tenens inueniretur. Horũ certè dies atque hora naſcentium, aliter notari non poſſet, niſi vt amborũ conſtellatio eſſet vna: quantùm autem interſit inter amborum mores, facta, labores, atque ſucceſſus, ſcriptura teſtis eſt, iam ore omniũ gentium peruagata. Néque enim ad rem pertinet, quod dicunt ipſum momentum minimum, atque anguſtiſsimum temporis, quod geminorum partum diſterminat, multùm valere, in rerum natura, atque cœleſtium corporum rapidiſsima velocitate. Et ſi enim concedam, vt plurimum valeat, tamen in conſtellationibus à MATHEMATICO inueniri

nō poteſt,quibus inſpectis,ſe facta prædicere profitetur. Quod ergo in conſtellationibus non inuenit ,quas(neceſſe eſt,vnas inſpiciat, ſiue de IACOB, ſiue de eius fratre conſulatur)quid ei prodeſt,ſi diſcat in cœlo, quod temerè ſecuris infamat,& non diſcat in tabula, quam fruſtra ſolicitus intuetur? Quarè iſtæ quóque opiniones, quibuſdam rerum ſignis,humana præſumptione inſtitutis,ad eadem illa,quaſi quædam cum dæmonibus pacta, & conuenta,referendæ ſunt?

Hinc enim fit, vt occulto quodam iudicio diuino,cupidi malarum rerum homines tradantur illudendi, & decipiendi, pro meritis voluntatum ſuarum illudentibus eos,atque decipientibus præuaricatoribus angelis, quibus pars iſta mundi infima,ſecundum pulcherrimum ordinem,diuinæ prouidentiæ lege ſubiecta eſt. Quibus illuſionibus,& deceptionibus euenit, vt iſtis ſuperſtitioſis diuinationum generibus,multa præterita, & futura dicantur.Nec aliter accidant,quàm dicunt,multáque obſeruantibus,ſecundum obſeruationes eueniant ſuas:quibus implicati curioſiores fiant,& ſeſe magis, magíſq; inſerant multiplicibus laqueis perniciofiſsimi erroris. Hoc genus fornicationis animæ ſalubriter diuina ſcriptura nō tacuit,néque ab ea ſic deterruit animam, vt propterea talia negaret eſſe ſectanda, quia falſa dicuntur à profeſſoribus eorum, ſed etiam, ſi dixerint (inquit) vobis, & ita euenerit,ne credatis eis.

Eodem lib.capi. 23.

Nota grauiſſimā ſententiam

Aduerte diligēter.

Deute. 13.

Nō

Non enim quia imago Samuelis mortui, Saüli regi vera
1.Re. 18 pronuntiauit,propterea talia ſacrilegia,quibus imago il-
la præſentata eſt,execranda non ſunt. Aut quia in Acti-
Act.16. bus Apoſtolorum,ventriloqua fœmina verum teſtimo-
nium perhibuit Apoſtolis domini, ideò Paulus Apoſto
lus pepercit illi ſpiritui,ac nō potiùs fœminam illius dæ-
Nota. monii correptione,atque excluſione mundauit. Omnes
igitur artes huiuſmodi,vel nugatoriæ, vel noxiæ ſuper-
ſtitionis,ex quadam peſtifera ſocietate hominum,& dę-
monum,quaſi pacta infidelis,& doloſæ amicitiæ conſti-
tuta,penitus ſunt repudianda, & fugienda Chriſtiano.
Non quòd idolum ſit aliquid(vt ait Apoſtolus)ſed quia
1.Co.10 quæ immolant,dæmonio immolant,& non Deo.Nolo
autem vos fieri ſocios dæmoniorum. Hæc ibi Auguſti-
Nota. nus.In libro quóque ſecundo ſuper Geneſim. Fatendū
(inquit)quando ab Aſtrologis vera dicuntur, inſtinctu
quodam occultiſsimo dici:quē,neſcientes humanæ mē-
tes,patiuntur. Quod cùm ad decipiendos homines fiat,
ſpirituum immundorum, & ſeductorum operatio eſt:
quibùs quædam de temporalibus,vera ſcire permittitur.
Idem Antiſtes,qui poſt Apoſtolos prima refulſit, in di-
ſpenſandi verbi diuini gratia, in quarto libro confeſsio-
num,in Enchiridio, & in quinto de ciuitate Dei libro,
hanc profeſsionem,vt ſeipſam deſtruentem, malignis
ſpiritibus fœderatam,hominique Chriſtiano
interdictam,validis argumentis
aſtruit.

Diui

DIVI GREGORII PONtificis, Tropologicæ Thelogiæ placidi, ingenioſique eloquij primatis, aduerſus eoſdē Aſtrologos, ſolida ſubtiliſque ſubſcribitur redargutio.

SED inter hęc ſciendum, quòd Priſcillianiſtæ hæretici naſci vnumquemq; hominem ſub conſtitutionibus ſtellarum putant, et hoc in adiutorium ſui erroris aſſumunt: quòd noua ſtella prodiit, cùm dominus in carne apparuit: cuius fuiſſe fatum eādem, que apparuit, ſtellam putant. Sed ſi euangelii verba pēſemus, quibus de eadem ſtella dicitur, Vt dum veniēs ſtaret ſuprà, vbi erat puer. Dum non puer ad ſtellam, ſed ſtella ad puerum cucurrit: ſi dici liceat, non ſtella fatum pueri, ſed fatum ſtellæ, is qui apparuit, puer fuit. Sed abſit à fidelium cordibus, vt aliquid eſſe fatum dicant. Vitam quippe hominum ſolus hanc conditor, qui creauit, adminiſtrat. Neque enim propter ſtellam homo, ſed ſtellæ propter hominem factæ ſunt: & ſi ſtella fatum hominis dicitur, ipſis ſuis miniſtris ſubeſſe homo perhibetur. Certè cùm Iacob de vtero egrediens, fratris plantam manu

Libro Homeliarum homelia 10.

Fatum nullū eſt

teneret, prior perfectè nequaquàm egredi potuit, niſi & ſubſequens inchoaſſet: & tamen cùm vno tempore, eodémque momento, vtrúnque mater effuderit, non vna vtriúſque qualitas fuit. Sed adhæc ſolent Mathematici

Nota. reſpondere, quia virtus conſtellationis in ictu puncti eſt. Quibus è conuerſo nos dicimus, quia magna eſt mora natiuitatis. Si igitur in ictu puncti conſtellatio permutatur, neceſſe iam erit, vt tot dicantur fata, quot ſunt mẽbra naſcentium. Fateri etiam Mathematici ſolent quòd quiſquis ſigno Aquarii naſcitur, piſcatoris miniſterium ſortietur. Piſcatores verò (vt fertur) Getulia non habet. Quis autem dicat, quia nemo ibi ſub Aquario naſcitur, vbi piſcator omnino non habetur? Rurſus, quos ſigno Libræ naſci aſſerunt, trapezitas futuros aſſerunt: & trapezitas multarum gentium prouinciæ ignorant. Fateantur ergo neceſſe eſt, aut hoc in eis ſignum deeſſe, aut effectum fatalem nullo modo habere. In Francorum, Perſarúmq; terra, Reges ex genere prodeunt: quibus profectò naſcentibus, quis exiſtimet, quanti in eiſdem horarum momentis, ac temporis ex ſeruili conditione naſcuntur? Et tamẽ regum filii, vno eodémque ſydere cum ſeruis nati ad regnum proficiſcuntur: cùm ſerui qui eadem hora fuere geniti, in ſeruitute moriantur. Hæc de ſtella breuiter diximus: ne MATHEMATICORVM ſtultitiam indiſcuſſam præterire videamur.

SECVNDVS.

QVID SANCTA DECRETA ſtatuerint aduerſus Aſtrologos, futura prædicentes, eorúmque conſultores.

IN volumine Decretorū vigeſima ſexta, quæſtione ſecūda, tertia, quarta, quinta & ſexta, eadem cauſa, permulta ſunt inſerta decreta (quæ verbatim deſcribere, foret oppidoquàm prolixum) quibus tanquàm illicita, dæmonibúſque cognata, natiuitatum actionúmque humanarum, per ſtellarum aſpectus prohibetur prædictio. Simul autem, qui fidem Aſtrologis adhibent, eóſque conſulunt, per eadem ſancta Decreta, tanquàm præuaricatores baptiſmi, ad paganiſmúmq; retro abeuntes denuntiantur, grauémque Dei iram incurrere, niſi Eccleſiaſtica pœnitentia emendati Deo reconcilientur. Ita enim cauetur in.c. Non obſeruetis dies Ægyptiacos, & cæteris aliis capitibus, quæ non recenſemus: tum quia volumē illud commune ferme omnibus eſt, tum ne longiori narratione moleſtiam prębeamus lectori. Notanda tamen ſunt verba.c. Legimus.37.diſtin. Aſtrologia & cætera huiuſmodi nihil valent ad ſalutem, ſed mittunt in errorem: & qui in his ſtudent, curam ani-

mæ non habent. Vnde refert Nicephorus libro nono ſuæ hiſtoriæ Euſebium Emeſenum coactum fuiſſe fu-
Nicephorus lib.9.c.5
gere è patrio ſolo, quòd ſtudioſus fuiſſe ferebatur Aſtrologię apoteleſmaticæ, in reſpōſis dandis occupatæ. Narrat & idem author, Eugemium quendam Theodoſii miniſtrum, impulſum fuiſſe ad inuadendum imperium, falſis Aſtrologorum aruſpicúmque prędictionibus: qui captus tandem, & capite truncatus, exemplū reliquit, quanta fides ſyderaſtris iſtis ſit concedenda: Neque autem latere quenquàm decet, nomine diuinationis contineri omnes artes illas (quas vocant illicitas & prohibitas) vt ſunt Pyromantia, Geomantia, Hydromantia, Chiromantia, quæ lineis manuum innititur: Necromantia, quæ & Magia dicitur, Augurium, Sortilegium, Maleficium, Præſtigium. Quæ omnia reliquię fecéſq; idololatriæ ſunt, calliditate Sathanæ olim per totam gentilitatem diſſeminatæ. Nam per Moyſen Deus opti. maxi. ita nos admonuit
Lib.12. cap.5.
Deu.18. Gentes augures audiunt & diuinos: tu autem à Domino Deo tuo aliter inſtitutus es. Nam quòd Moyſes idem retulit, Poſita ſydera in ſigna, & tempora, Non ſigna (inquit Auguſtinus) quæ obſeruare vanitatis eſſet, ſed vitæ vſibus neceſſaria, qualia nautæ & agricolæ, & id genus artifices obſeruant. Itáque quandoquidèm ex præcedenti-
Nota.
bus apertum ſit, diuinatricem hanc Aſtrologiam nō modò vanā & falſam eſſe, verūetiam dæmonibus fœderatā, cenſeántque ſacri Canones eos, qui deliris his vatibus credunt, ipsóſque conſulunt, baptiſmi ſui præuaricatores, & ad paganiſmum abeuntes: conſtantérque Auguſtinus veritatis

ritatis illuſtriſſim⁹ propugnator, iſtos ipſos affirmet participes fieri dæmoniorum: rectè colligitur hos futurorũ euentuum diuinaculos aſſeclas, conſultoréſque ipſorũ, veluti impietatis, hæreſeóſque ſuſpectos, per Eccleſiaſticos iudices fore coërcendos, libróſque eorum incinerandos. Cuius rei exemplum dedere Apoſtoli: quorum iuſſu libri eorum, qui fuerant curioſa ſectati (quanquàm magnopretio comparati) publicè fuere combuſti, vt teſtatur diuus Lucas in Apoſtolicis actis.

Nota hoc crimen eſſe de foro Inquiſitoris.

Acto. 19.

PLACITA SCHOLAſticorum Theologorum, circa futurorum ex Aſtris præſagia, & quid de Aſtronomicis imaginibus ſentiendum.

RECENTIORES ſcholaſtici Doctores, qui in albo piè, rectéque ſententium conſcripti fuere, communi ſuffragio diffinierunt tria eſſe rerum genera, ita ab aſtrorum poteſtate libera & aliena, vt nec conſtellationibus, aut ſyderum aſpectu prædici,

aut præuideri queant. Ea ſunt in primis, actiones à libero voluntatis prodeuntes arbitrio. Deinde fortuita futuráq; contingẽtia, quæ nullam ſui in rerũ natura cauſam certã habent. Poſtremò regimen Eccleſiæ, quia confeſsio eius ſuper cœlũ & terrã. Eccleſia nempè nec cœlo, nec aſtris, ſed ſoli Chriſto regenda cõmiſſa eſt: vt ſponſa ſponſo, & corpus ſuo capiti. Quapropter omnium eorũ, qui de caſtigatione, reformatione, exaltatione Eccleſiæ, nouorúmq; hæreticorum prouẽtu, & qui de Antechriſti propinquitate pronuntiant, aut ratiocinantur, digitos, calculos, oráque reſoluit Chriſtus in verbis illis. Non eſt veſtrûm noſſe tempora, vel momenta, quæ pater poſuit in ſua poteſtate. Porro procliuitates, differentias corporũ, dexteritates, fortunatóſque quorundam ſucceſſus, ab aſtris minime effici, deriuaríue, ſuperiore libro latè indicauimus. Vt tamẽ iſtud ipſum cõdonemus honori quorundam claſsicorum authorum, quos nõ eſt obſcurum opinatos fuiſſe, ab aſtrorum fauore prodire, vt quidã bene nati, benéque fortunati, cuncta auſpicatò agere videantur: id tament nuſquàm à nobis obtinebunt, quinã ſingulares homines futuri ſint bene nati, fortunati, aut ſecus, quacũnque aſtrorũ inſpectione poſſe præſciri. Cùm enim nobis incognita ſint aſtra, quomodóque ſe habeãt ad inuicem, qualéſq; in nos gerant vires, obſcurum ſit (quæcúnque enim de diuerſitate ſtellarum, magníſq; cõiunctionibus planetarum Aſtrologi aſſerunt, nullis ſunt veris regulis, principiíſue innixa, ſed tantũmodò excogitata, inuentáq; ab huiuſce artis authoribus) Ad hæc cùm

Pſal. vltimo.

Nota de Eccleſia.

Act. j.

Nota bene.

Damaſcenus l. 3 de ortodoxa fide: et diuus Thomas lib. 3. contra gentiles. cap. 92.

in dies

in dies, quinimò & in horas emergat noua cœli facies, nō uſqué cœli recurrat ſitus: ad quem relata aſtra, quam affectionē induant, mutent, aut amittant, diſcerni nequeat: fateantúrque ipſi apud ſe nulla inueniri inſtrumenta, quibus ad amuſsim notare valeant ortus, occasúſque ſignorum, aſtrorúmue: perſpicuum eſt. Eſto, quæ nobis contingunt, ab aſtris efficiantur, hæc ipſa ita eſſe abſtruſa, im peruiáque, vt à nullo, quantuncúnque oculato. Argo, queant eſſe præuiſa. Quod autem de Aſtronomicis imaginibus Sycophantæ iſti garriunt (poſſe videlicèt imagines animantium quaſdam extrui, quibus ad ſyderum certas conuerſiones, figuráſque applicatis, noua indatur poteſtas, ad graues nonnullos curandos morbos, miróſque effectus patrandos: & propterea imaginem ſub Leone fabricatam, prodeſſe hominibus Leoninis) hoc eodem argumento ſubuertitur. Nam cùm conuerſio cœli, illæque ſyderum figuræ, nullibi ſiſtant, ſed inexplicabili celeritate rotentur: dum fabricatur imago, erigitur, ſyderalique illi figuræ coaptatur, tota illa conuerſio, figuratióque cœleſtis prætereat, tranſuolet, nouáque illi forma ſuccedat, neceſſe eſt: vt prior illa facies nullo potuerit certo intuitu deprehendi: tantominùs illi Aſtronomico figmento quadrari. Deinde cùm artificialia, nihil naturale, ſed duntaxàt ab artificis conceptione, ideáque impreſſum in ſe habeant, capacia nequaquàm ſunt, vt agentium naturalium (cuiuſmodi ſunt corpora cœleſtia) virtutem quampiàm naturaliter operantem in ſe recipiant. figura quippe nullius effectus naturæ poteſt eſſe principium.

Cōcluſio notāda.

De imaginibus Aſtronomicis.

Ioannes Picus. Hæc tametſi ſufficiant ad hunc euertendum errorem, præmemoratus tamen Ioannes Picus, acer explorator Aſtrologicarum traditionū (& qui quantò iunior, tantò forſan ſuperioribus in hac re fuit peſpicacior) totam rem hanc mihi videtur acu tetigiſſe, aſtronomicarūmque ima ginm totum negotium, vt inane facili via prorſus exſufflaſſe: negat enim omnino vllas eſſe in cœlo animantiū effigies. Quis enim vſque adeò deſipit, vt credat in illo ſtellato ſolio, ſublimique Dei templo collocatas pecorum, aut ferarum imagines, & non potius hominum cogitatione confictas? Quid enim te prohibet ex innumera bilibus ſtellis, aliquas mentis diſcurſu, in variis cœli locis, punctiſque ſtatuere, & ſic eas deliniare, vt vel Centauri, mōſtriue alterius, aut (ſi mauis) tricipitis canis Cerbebri figuram valeas in cœlo protrahere. Id idem ſentiunt pręclari illi duo Antiſtites, Baſilius, & Ambroſius, in præſcriptis diſputationibus, ineptum nimis, veritatique diſſonū exiſtimantes, corpora cœleſtia (quæ iſti aſſerunt eſſe omnium, quæ apud nos ſunt, cauſas & principia) à beſtiis & quadrupedibus effigies ſuas trahere, hominūmque ſortes Arietis: Leonis, Tauri, Scorpii qualitatibus accommodare. Cùm itáque nullæ ſint in cœleſtibus orbibus huiuſmodi figuræ, euidens fit ex iis, quæ non ſunt, in hęc inferiora nihil poſſe trāsfundi: Eapropter diuus Auguſtinus, vbi Porphyrium virum prodigioſę ſuperſtitionis figmēta, præſtigiáque multa inferentē confutaſſet, ſubdit, Totam hoc ad dæmones pertinet, ludificatores animarum ſibi ſubditarum: vnde etiam & imagines (quas Aſtronomicas

Nullæ ſunt in cœlo animalium ſigna, neq; imagines.

Auguſtinus lib. 10. de ciuitate Dei.

micas vocant)ex operatione dæmonum habent effectū. Cuius ſignum eſt,quòd neceſſe ſit eis inſcribi charecteres quoſdam,qui naturaliter ad nihil operantur.Nó enim poteſt eſſe figura, alicuius actionis naturalis principium.Hæc Auguſtinus.

CICERONIS PERFECTI oratoris ac Philoſophi iudicium de Prognoſticis Aſtrologorum.

Libro 2.de diuinatiōe

CICERO non minor ingenio, quàm eloquio, nec in diſputando,quàm perſuadēdo inferior, vbi diligēter totā hanc Aſtrologicam diſciplinam excuſſiſſet , tale teſtimonium retulit. Quoniam verò prolixior eſt Ciceronis confutatio,perſtringam ſenſum illius vniuerſum,omiſſo verborum tractu. In primis refert Eudoxum,Platonis diſcipulū, & Aſtrologorum facilè principem,Panętium Stoicum , & alios in Aſtrologica profeſsione famoſos, totum hoc prædicendi genus repudiaſſe.Deinde rationibꝰ,quibus dogma

illorum innititur, recitatis, eas acutè copioséque euertat, vt nemo meliùs aut efficaciùs. Cùnque hanc prædicendi artem, rationi, ſenſui, experientiæque aduerſari comprobaſſet, non falſam tantùm & erroneam, ſed omnino deliram & ſtultam exclamauit. O delirationē (inquit) incredibilem. Non enim omnis error ſtultitiæ vocabulum meretur. Addit poſtremò eorum præſagia quotidiè argui, & refelli, prædixiſséq; ipſos Craſſo, Pompeio, & Cęſari, neminem eorum niſi ſenectute, niſi domi, niſi cū claritate eſſe moriturum. Quapropter ſe demirari ait quēquam extare, qui iam credat iis, quorum prędictiones videat quotidiè, re & euētis refelli. Hæc ſanè Ciceronis verba magnum pudorem iis, qui Chriſtino nomine glorian tur, ingerunt: qui diuinis ſcripturis, veræque fidei luce illuſtrati errorem tam delirum non agnoſcunt. Cum vir ille in ſolo naturæ iudicio conſtitutus, ita abſurdum iudicauit, vt mirari ſe dicat quēquàm poſſe reperiri, qui huic tam aperto errori aſſentiat. Nec dubito ego Aſtrologos ipſos, ſui erroris eſſe conſcios, ſuæque artis noſſe vanitatem. Et vt Cato dicebat de Aruſpicibus, ſe mirari, quòd non rideret arupex, aruſpicem cùm vidiſſet, haud aliter neque ego arbitror, Aſtrologum non ridere, Aſtrologū cùm videat, quinetiam & irrideat, & auriculas Aſini habere exiſtimet, quotquot ſuis Prognoſticis conſpexerit credulos. Verum volitat inter eos dicterium, Homines volunt decipi. Quia verò quæſtum ſuis diuinationibus trahunt, nugas Prognoſticorum ſuorum quotannis reficiunt, venditántque vulgò. Genituras autem, iudiciáq;

Exclamatio Ciceronis.

Nota.

Quæſtuarij Aſtrologi.

natiuitatum, bardis principibus, maléque ſenſatis diuitibus, potentibúſque Eccleſiaſticis, déque vita futura parũ credulis hominibus, magno licitant pretio. Satis pro exẽplo fuerit narrare documentum, traditum iſtis diuinaculis ab eo, qui adhuc viuit, magno huius artis coryphæo: qui in libro geniturarum, quem nuper edidit, inter monita, quibus ſuos inſtruit condiuinatores, ita ait. Aduerte, ne prænunties tentanti, nec dubiam habenti geneſim, nec ſine pretio, nec cum exiguo pretio. Nam vilipẽditur hęc ars, datúrque errandi occaſio, cũ leuibus muneribus magna prædicere conamur, & inuentu difficilia. Ego bis cẽtum coronatos pro vna geneſi perficienda reſpui: vide modò, an tu me ſis exercitatior. Hæc ille. Iſti igitur (vt videre eſt) aſtra ad nummos & quæſtũ conuertunt, vt cùm doloſi ſpes refulſerit nummi, picas has cantare credas cœleſte melos. De quibus videtur & diuus Petrus loquutus fuiſſe, dicens. Erunt in vobis Pſeudoprophetæ, qui in auaritia, fictis verbis de vobis negotiabuntur.

Hieron. Cardin.

Nota vafritiẽ

1. Pet. 2.

PERORATIO ERVDITIONE, ac Chriſtiana pietate fœcunda, damna ex Aſtrologica diuinatione prodeuntia enumerans, ponénſque ob oculos.

DIVINA ſapientia à muliere aliena, extraneáq; homines auertere, & ad ſe conuertere deſyderans, genus mortalium, ore Salomonis, hac expoſtulatione compellat. Vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, cupient? Qua ſanè increpatione nulli magis feriri videntur, atq; ii, qui Aſtrologicæ ſuperſtitioni, aut nauant operam, aut fidem adhibẽt: vt pote quam Tullius (tametſi nulla ſacra luce perfuſus) incredibilem delirationem, & nõ errorem modò, ſed ſtultitiam nuncupari debere exclamauit. Quæ enim maior infantia, mentíſque inopia, quàm exiſtimare, per inſtabiles ſtellarum gyros, momentáque incomphehenſibilia, atomis Democriti minutiora, totas hominum vitas regi, & ex iis fortunas, viciſsitudines, omnéſq; humanas neceſsitates poſſe pronuntiari? An non ſunt paruuli ſenſibus, notáque inſaniæ tacti, qui ex ſignis pecorum, irrationaliûmq; animantium figuris (quas cum cœlo circunferri aſſeruut) homines ratione, imaginéq; diuini numinis inſignitos, naturas ſuas, mores, viuendique differentias ſortiri arbitrantur? Nũquid hoc eſt diligere vanitatem, & quærere mendacium, illi diſciplinæ adhærere, quę prorſus veris, philoſophicíſque principiis, ac regulis deſtituta eſt? Iis quóq;, qui toties mentiri deprehenſi fuere,

Proue. 1

credere, ac ſi forent veritatis magiſtri: qui circa ea, quę præceſſerunt, tam frequenter comperti ſunt mendaces: qua ratione, quò ad ea, quæ futura ſunt, putabuntur eſſe veraces? Qui ſi nonnunquàm vera prędixerint, eò magis ſunt fugiendi, quòd (probatiſsimo teſte Auguſtino) non iſta ab aſtris, ſed occulta malignorum ſpirituum ſuggeſtione diſcunt, ſitque is apud eos fortunatior in prædicendo, qui fauentiorem habet dæmonem, magiſque propitiũ. Subdit expoſtulans Sapientia, Et ſtulti ea, quę ſibi noxia ſunt, cupient. Stultos hîc pronuntiari videmus, qui noxium ab vtili non diſcernunt, nec apparens bonum à vero & ſubſiſtente ſeligunt: quocirca alterum pro altero appetunt, & amplectuntur. Quid autem longiùs ab vtilitate remotum, hoc diuinandi genere, cuius ſcopus intentióq;, etiam ſi attingi poſſet, noxia foret, nedum inutilis? Quandoquidem, (eodem Cicerone iudice) magis ſit nobis noxia, quàm vtilis, ſciẽtia futurorum. Si enim (inquit) Craſſus, Pompeius, & Cęſar, reliquiq; pręclari viri, caſus, exitúſque ſuos infœlices præſenſiſſent, abſque cruciatu vitam agere non potuiſſent. At dicent Stoici, ſi hos caſus præuidiſſent, vtique cauiſſent: nam ſi futuri erant, euitari non poterant. Porro horam periodi vitæ noſtræ, obitúſque modũ, cur fruſtra laboramus præſcire? Quẽadmodùm enim dux exercitus, quando & quandiu vult, milites in ſtatione continet, nulliſque, niſi eo iubente, licet egredi, haud aliter vitæ noſtrę author, moderatórque Deus opti. max. cùm illi placuit, in ſtadio huius vitę mortalis nos collocauit, curſúmq;, moram & metam ſtatuit,

Auguſt. de ciuit. Dei lib. 5. cap. 7.

Stultus quid?

Ciceronis dictũ notãdum.

Aduerte

noſtróſque conſtituit terminos, qui præteriri non pote-
Matth. runt. Quapropter nihil vtilius nobis ſupereſt, quàm ſan-
25. cto illius parere conſilio, inquientis, Eſtote parati, quia
nõ habetis diẽ, neq; horam: & ſatagere, vt bono fine cer
Matth. tamen noſtrum claudatur, fœlicitatíſque brauio tandem
6 coronetur. Quid autem de vitæ noſtræ ſorte, externíſue
fortunis ſumus ſoliciti? Nunquid ad ſtaturam noſtram
adiicere poſſumus cubitum vnum? An non in manibns
Pſal. 30 eius ſortes noſtræ? An non puſillum ipſe, & magnũ crea-
uit, & æqualiter eſt ei cura de omnibus? An rerum ſingu
larium, operúmue noſtrorum prouidẽtiam, more Epicu
Sapiẽ. 6 reorum detrahere illi volumus? Multo ſatius itáque fue-
rit, ſapienti illi obtẽperare diſticho, Quid Deus intendat,
Nota noli perquirere ſorte, Quod ſtatuit de te, ſine te delibe-
vir chri rat ipſe. Cæterùm cur nõ agnoſcunt Chriſtiani dignitatẽ
ſtiane. ſuam, partam tanto Chriſti labore & merito, quo de fi-
lii carnis & iræ regenerati, translatíque ſunt in filios Dei,
& hæredes, membráque Chriſti effecti? An non pudet in
tanto honoris faſtigio conſtitutos, conuerti in ſeruos ina
nimatorũ aſtrorũ, illámq; vaniſsimam artẽ ſuſpicere, quã
nudis hominũ figmentis adornatã, dæmonib⁹ fœderatã,
ſacris edictis interdictã, venerandis decretis inuiſam pate
fecimus? Cur non horrent Chriſtiani huius commercium
artis, quam ab hoſtibus noſtræ ſalutis, ſeductoribúſque
malis Geniis inuentam, cruciatu, atque animi ſeruitute
prementem, paganiſmum redolentem, baptiſmi deſertio
nem molientem, Chriſti meritum fruſtrantem, in Deum
iniurioſam, in cœlũ, & ſydera cõtumelioſam, tot irrefra-
gabilia

gabilia teſtimonia clamant? Plato poëtas ab vrbe (quam optimam inſtituit) expelli volebat, propterea quòd deos infamarent, inducerentque in animos mortalium affectus parum viriles. Validiori dubioprocul ratione arcendi veniũt, prophanæ hui⁹ diſciplinæ diuulgatores, Pſeudoprohetæque, quòd diuinam eos lædere maieſtatem, cœlos & ſydera blaſphemare, ac non ſecus atque Plagiarios, liberos Chriſtianos, in creaturarum mancipia redigere, à ſyncera fide, ac ſpe, virtutiſq; ſtudio humana corda auertere, fati impietatem inducere, nemini rectè ſapienti obſcurum eſt. Crediderim ego variis cladibus, ac flagellis orbem quati Chriſtianum, ob iſtorum Pſeudoprophetarũ minimè caſtigatam, ſed potiùs receptam audaciam. Nam (vt ſacra Regum teſtatur hiſtoria) terra Iſraël annis tribus & menſibus ſex, propter multiplicatos in ea reprobos prophetas, qui non ore domini, ſed malorum ſpirituum impulſu, ventura prænuntiabant tanta ariditate ſterilitatéque confecta iacuit, vt exiccatis riuis & fontibus, areſcentibúſque plantis, homines & iumenta, fame, ſitiq; perirent. Hanc verò plagam illorum cauſa contigiſſe cõpertum eſt, quòd cunctis illis diuinatoribus, ELIÆ iuſſu exterminatis, ceſſauit plaga, optatáque fertilitas donata eſt, ac tota cœli, terræque facies immutata. Ne igitur paruuli ſimus ſenſibus, more ſtultorum noxia cupientes, ne in interitu noſtro ſapientia rideat, nóſque ſubſannet. Simul enim inſipientem & ſtultum perituros cithara cecinit Dauidica. At quia Spiritus ſanctus teſtimoniũ perhibet ſpiritui noſtro nos filios dei eſſe, in quo ſpũ clamam⁹,

Plato li. 2. de republi.

Pellendi ab vrbibus aſtrologi.

3. reg. 18.

pſal. 49

Abba

Abba, pater, cœleſtis patris nos committamus prouidē-
Rom. 8. tiæ à quo, cùm virga nonnunquàm percutimur, cogitemus caſtigationem hanc, virgam eſſe directionis, pater-
Prou. 3. næ curæ, beneuolentięque argumentum certum. Nimia enim (vt verè dicitur) parentum perdit indulgentia natos. Qui cùm patris amantiſsimi officium erga nos non intermittat, totque fœlicibus promiſsis beet, fiducia, atq; perſeueranti obſequio, viciſsim illi reſpondere perquàm dignum & iuſtum eſt. Spectantes interea Dauidici illius carminis iucundiſsimam clauſulam, Cùm dederit dilectis ſuis ſomnū: Ecce hæreditas domini, filii:
pſal. 126 merces, fructus ventris.

¶FINIS DVORVM LIBRORUM aduerſus Præfatores, & Prognoſticos futurorum euentuum, diuinatricémque Aſtrologiam. Authore R.P.F. Spiritu Rotero Aquæſexſtienſi, Ord. Prædicatorum Inquiſitore Toloſano.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE